This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Gb
1
80

Digitized by Google

Gl 1.80

Harvard College Library

FROM

By Exchange

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

cover
#
Gb 1.8

QVAESTIONES

BABRIANAE ET PSEVDO-DOSITHEANAE

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM

MARPVRGENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERICVS GETZLAFF

BEROLINENSIS

MARPVRGI CATTORVM

MCMVII

Digitized by Google

G61.80

Harvard College Library
NOV 1[illegible] 1[illegible]3
From the [illegible]

Dissertatio inauguralis referente Ernesto Maassio P P O ab amplissimo philosophorum ordine probata a d XI Kal Febr anni MCMVII

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGRAPHI ACADEMICI

Digitized by Google

PARENTIBVS CARISSIMIS

GEORGIO THIELEIO

SACRVM

Digitized by Google

Digitized by Google

Sitne Ps-Dositheus Babrii paraphrasis an non quaeritur.

Unde Pseudodositheus[1]), qui vocatur, apologos suos praeter eos, qui versibus concepti et manifesto e Babrio petiti sunt, hauserit, nemo adhuc accuratius perscrutatus est. Hausrathius quidem et Crusius, optime illi de fabellarum Aesopearum historia meriti, nonnulla sane et de hoc tenui fasciculo a magistello copiis suis inserto adnotaverunt, tamen iudicium eorum in eo acquievit, ut Ps-Dositheum omnino Babriana materia usum esse statuerent[2]).

Quam ob rem mihi operae pretium visum est iterum in hanc quaestionem descendere atque ita, ut omnes simul ceteras uniuscuiusque fabulae variationes, quae ad nos pervenere, in comparationem vocarem.

Pars prima

De Ps-Dosithei fabellis, quae non a Babrio profectae sunt.

I

De fabellis, quae ad eundem similemve ad quem Romulus fontem redeunt: 1, 2, 9, 11, 18.

Ps-Dos 1(1)

(Böck 1; Bouch pagg 502—504; Götz H L pag 40, Frg P pag 95)

Initium facere volui ab apologo, qui est de cervo umbram suam in aqua intuente:

1) Ps-Dosithei fabulae servatae sunt Hermeneumatibus Leidensibus et Fragmento Parisino. illa e Vossiano primum edidit Böckingius (Bonnae 1832), hoc in lucem protulit Boucherius (Not et extr XXIII 2 pagg 501—525). utramque recensionem iterum edidit Götzius in Corp Gloss Lat III, ubi exstant in pagg 40—47 et 95—102.

2) In eo nixi, quod primum duae magistelli fabellae choliambico metro servato certe e Babrio desumptae essent: Herm Leid nr 16 = Babr 84, 17 (Frg P 16) = 140 (Crus), deinde quod maior Ps-Dosithei pars, quod quidem ad argumenta attineret, ab eodem poeta versibus inclusa esset: Ps-Dos 1(1)—B 43; 2(2)—82+107; 3(7)—31; 6(11)—103; 7(12)—75; 9(3)—77; 11(5)—79; 14(14)—91; 18(17)—108; 10(4) — Bodl Paraphr 168 (Crus); 12(6)—191; 15(15)—194, denique quod Babrii apologi in ore omnium antiquitatis hominum fuissent; cf. Hausrathium, Unters zur Überlfg der Aes Fabb pag 299 et in adn 1 (Annalium Fleckeisenii suppl 21) nec non Crusium in Babrii editione (Lips 1897) pag 131 et pag 205 Hausrathium secutum, postquam primo negavit in libro De Babrii aetate (Stud Lips II 1) pag 241 et in adn 3.

Digitized by Google

Phaedr I 12; Babr 43 = Tabb Assend VIvo VIIro[1]); Aphthonius 18 = Kor 181c[2]); Romulus (Adem 41[3]), Burn III 7[4]), Flor III 7, Vindob 45, Wissemb III 10); Syntipas 15 = Kor pag 365/6; Myth 3 (pag 215 Crus); Ign Diac Tetr I 14, (Tetr II 11 recent aet)[5]); Anonym = Kor 181a ~b~ pag 364/5, 181d, pag 365c.

Discernuntur in his facile duo argumentorum genera. nam cum in altera serie Phaedr — Rom[6]), Ps-Dos, Aphth, Kor 181a~b~ pag 364/5 cervus primum cornuum magnitudinem laudet, deinde crurum tenuitatem vituperet, in altera Babr — Ign Diac Tetr I 14[7]), Syntip, Kor 181d, pag 365c vituperationis et laudis ordo permutatur. quod non tam casui, quam certae cuidam rationi attribuendum esse mihi videtur. in subsequentibus enim cervus primum crurum velocitate venatores effugit, deinde in silva cornuum magnitudine evadere prohibitus interficitur. itaque in iis variationibus, ubi cervus primum vituperat, deinceps laudat, ordo sententiarum in utraque apologi parte sibi respondet. in priore enim parte primum vituperatur, deinde laudatur. item in altera parte cervum primum crura sua immerito vituperasse, deinde cornua temere laudasse experimento demonstratur. at contra in illis formis, ubi in priore parte laudandi et vituperandi ordo commutatur, cervus confestim a vituperando eventu discit, quantum iudicio a veritate aberraverit. vix enim crura sua ut nimis gracilia reprehenderat, cum venantium clamore audito his ipsis cruribus servatus est. apparet igitur iam in hac re Ps-Dositheum certa quadam ratione propius ad Phaedrum Romulumque quam ad Babrium accedere.

Ex hac iam prima differentia profecti inquiramus, num etiam alia exstent argumenta eaque certiora, e quibus distincte discerni possit, utrum Ps-Dositheus casu an vera cognatione cum Phaedro et Romulo magis congruat. primum et apud Ps-Dositheum et Phaedrum et Romulum cervus e fonte bibit, non stagni aquam (λίμνης ὕδωρ)[8]) ut apud Babrium (v 2). deinde Ps-Dositheo cum Phaedro et Romulo id commune est, quod cervus vena-

---

1) Hesseling, Journ of hell stud XII (1892/3) pagg 311/12; cf Crusium in Philologi vol 53 pag 238.

2) Korais, Μύθ Αἰσωπ συναγ (Par 1810). De Koraisii fontibus cf Hausrathium, Unters zur Überlfg der Aes Fabb pag 249. Aphthonii fabulas etiam invenias in Neveleti sylloga Francoforti anno 1660 iterum impressa.

3) Thiele, Der illustrierte Aesop (Lugd Bat 1905) pag 53.

4) Burneianum codicem Romuli Oesterleyus editione sua expressit, Florentinum, Vindobonensem, Wissemburgensem descripsit Herviusius in opere Les fabulistes latins II 2 (Par 1894); ceterum vide Thieleium pagg 14 sq.

5) Ed C Fr Mueller in Crusii Babrio pagg 251 sqq (cf pag 258).

6) Phaedrum secutus; cf Thieleium pag 15.

7) Babrium imitatus; cf C Fr Müllerum pagg 251/2.

8) Quod, quamquam per se ipsum parvi momenti est, praesertim cum etiam in iis formis, quae a Babrio profectae esse videntur (Kor 181d, Syntip) *fons* pro Babriano *stagno* substitutus sit, tamen aliquid valet, si gravissimo illi priori indicio atque iis, quae subsequuntur, adicias. de hac propria Babrii variatione infra (pag 41) accuratius disputabo.

Digitized by Google

tores appropinquantes audit, non videt ut Babrianus: Ps-Dos Herm Leid: αἰφνιδίως ἀκούεται *subito audiit* (*auditus est* Frg Par) — Rom Burn *venatoris vocem audivit* — Phaedr v 7: *venantum subito vocibus conterritus* — Babr v 7: κυνηγέτας γὰρ ἄνδρας εἶδεν ἐξαίφνης.

Postquam statuimus Ps-Dositheum a Babrio distare et magis ad Phaedrum et Romulum spectare, ne cum Phaedro quidem eum tam arte quam cum Romulo cohaerere iam animadvertimus. legitur enim in Ps-Dositheo: ἐν οἷς δὲ πρὸς τούτοις ἦν *sed cum in his esset* id est in cornibus laudandis atque cruribus reprehendendis. quam sententiam in Phaedro frustra requiras. valde enim repugnat conciso poetae sermoni et presso. tamen optime conferenda est cum Romuli verbis: *sed cum haec cervus ad fontem faceret* (Burn) [*cumque* Flor, *ageret* Wissemb, omiserunt Adem, Vindob][1]). Romuli formam in universum e Phaedro derivatam esse perspicuum est. neque tamen illum Phaedri fabellas sine iudicio collectione sua recepisse, immo persaepe Phaedri vel peccata vel nimis breviata ex alieno fonte eoque optimo amplificasse nuper demonstravit Thieleius[2]). quo in numero hoc quoque Romuli additamentum habeam. est enim loci sensui haud illepide accommodatum: silentio secum deliberantis cervi venantium opponitur clamor. huc accedit, quod Phaedrus cervum *ramosa* (v 5) sua cornua admirantem facit, cum in Romulo et Ps-Dositheo a fera laudentur, quia magna et in altum erecta sint. in Babrio autem cornuum tantum pulchritudo denotatur: Ps-Dos Herm Leid: καὶ μάλιστα μὲν ἐπῄνει τὴν φύσιν τῶν κεράτων ἀνατεταμένων τε εἰς πολὺν ἀέρα καὶ ὡς κόσμος εἴη παντὶ τῷ σώματι *et maxime quidem laudabat naturam cornuorum excelsissimam in multo aëre et quod ornamentum esset omni corpori* — Rom Burn: *sua cornua magna ut vidit* — Babr v 5: ἐπὶ τοῖς δὲ κέρασιν ὡς καλοῖς ἄγαν ἠὔχει.

Demonstravimus ergo Ps-Dosithei argumentum non tam a Babrio profectum quam cum Phaedro atque Romulo artissima cognatione coniunctum esse, tamen ita, ut propius ad Romuli recensiones quam ad Phaedrum accedat.

Denique sermonis quidam consensus inter magistellum et Romulum intercedens rem confirmat:

Phaedr	Rom Burn	Ps-Dos
v 1: *ad fontem cervus restitit*		ἔλαφος ... παραγίνεται ἐπί τινα πηγὴν *cervus advenit ad quendam fontem* H L (*pervenit* παρηγένετο Frg P)

1) Cf Rom I 16: *cum haec asinus secum cogitaret* (vide etiam Ps-Dos 18: *dumque in his sunt.*

2) Th pagg 4 sq: *Der gesamte Romulus zeigt nämlich das Prinzip, dürftige Phaedrus-Erzählungen aus fremden Quellen zu verbessern*; cf stemma Thielei pag 8.

Digitized by Google

v 1 : *cum bibisset*		καὶ πιὼν *et cum bibisset* (καὶ ὡς ἔπιεν)
v 2 : *effigiem suam*		τῇ τοῦ σώματος ⟨ἰδέᾳ⟩ *a⟨d⟩corpori⟨s⟩ e⟨ffigiem⟩* (*corporis ⟨ef⟩figiem* τοῦ σώματος ἰδέᾳ)
	nimium laudare coepit; *nimisque ea laudavit* Vindob *nimis l c* Wissemb	μάλιστα μὲν ἐπῄνει *maxime quid⟨em⟩ laudabat* (*autem laudans* γὰρ ἐπαινῶν)
v 6 : *crurumque nimiam tenuitatem vituperat*	*crura vero tenuia vituperavit*; *tenuia vituperat* Adem *tenuia* omis Flor *cruraque* Vindob *cr ten vituperabat* Wissemb	ἔψεγεν δὲ τὴν τῶν σκελῶν λεπτότητα *culpabat autem crurum exilitatem* (*vituperans gracilitatem* ψέγων)
v 7 : *venantum subito vocibus*	*venatoris vocem audivit*; *audiens . . . venatorum voces* Adem *venatorum subito voces* Wissemb (deest *audivit*)	ἀκούεται *audiit* (*auditus est*)
	canes repente latrare; *canum latratus* Adem *canum strepitus* Flor *canes latrare coeperunt* Wissemb	ὑλαχή τε κυνῶν *latratus canum* (ὑλαγμός)
v 8 : *per campum fugere coepit et cursu*	*fuga dicitur evasisse molos ⟨sos⟩*; *fuga ducitur* Adem *lapsus* Flor *fugam iniit* Vindob	πρὸς φυγὴν ὥρμα *in fugam ibat* (*pergit*)
	per campum; *campos* Flor omis Wissemb	διὰ πεδίων *per campos* (*per campum*)
	At ubi; omiser Vindob et Wissemb	δρόμον *cursum* ἐπεὶ δὲ *sed ubi* (*at*)
v 10 : *retentis impeditus cornibus*		ἐνπλακέντων αὐτῷ τῶν κεράτων *obligatis ei implicatus* (!) *cornibus* (*obl ei corn* αὐτοῦ)
	vituperavi	ψέγων μὲν *culpans quidem vituperans* (!) (*c qu*)
	deceptiosa laudavi; *decipientia* Vindob	ἐπαινῶν δὲ *laudans autem* ὑφ' ὧν προδέδοται *a quibus deceptus esset* (⟨*per quae*⟩ *deceptus est*)

Sed unum explicandum est, undenam consensus, qui nonnullis locis inter Ps-Dositheum et Phaedrum intercedit, ortus sit, sicut illud *cum bibisset.* nam

Digitized by Google

haec verba e Phaedro in Ps-Dositheum irrepsisse propterea mihi persuasi, quod graeca versione πιὼν potius latinum *bibens* postulari videtur. res ergo fortasse ita se habuit: in genuino Dositheo *bibens* = πιών exstabat. postea autem ab aliquo interpolatore Phaedri perito pro *bibens* poetae verba *cum bibisset* (cf v 1: *e fonte cervus cum bibisset, restitit*) substituta sunt. ceterum quantopere eorum, quorum in manibus Ps-Dosithei libellus erat, interfuerit graeca a latinis quam minime discedere atque invicem, testis est codex Parisinus, in quo postea[1]) ὡς ἔπιεν pro πιὼν substituto graeca latino *cum bibisset* plane accommodata sunt. item verba *effigiem suam* τοῦ σώματος ἰδέαν ad Phaedri locum (v 4): *et in liquore vidit effigiem suam* redire videntur. accedunt verba minoris ponderis sicut *ad fontem cervus*; *cursu*.

Deprehendimus ergo iam Ps-Dosithei archetypum e Phaedro interpolatum. quamquam in medio relinquam, utrum haec Phaedri verba a magistro ipso fabellae suae inserta sint an iam in Ps-Dosithei et Romuli communi fonte exstiterint. certe id monendum est, quod etiam Ademari collectio nec non Wissemburgensis et alii ad archetypum redeunt, qui plura Phaedriana continebat quam is, quem nos habemus, Romulus, ut Thieleius mecum benigne communicavit et passim attigit[2]) in libello suo.[3])

---

1) Eum aetate multo posteriorem esse Boucherius testatur pag 495.

2) Pagg 16, 19 sq.

3) Denique silentio non praetereundum est etiam nonnulla Ps-Dosithei verba inveniri, quae Babrii haud dissimilia sint:

Babr	Ps-Dos
v 12: κέρατα-ἐμπλακείς	ἐνπλακέντων αὐτῷ κεράτων *obligatis ei (implicatus) cornibus* — (αὐτοῦ)
v 14: οἱ γὰρ πόδες μ'ἔσῳζον	τὰ σῴζοντα αὐτὸν *quae salvabant eum*
v 15: τὰ κέρατα δὲ προὔδωκεν	ὑφ' ὧν προδέδοται *a quibus deceptus esset (⟨per quae⟩ dec sum)*

neque tamen his similitudinibus a sententia nostra recedere cogimur, cum etiam eae variationes, quae aliis de causis a Babrio profectae esse non possunt, mirum in modum isdem fere locis cum poeta congruant:

Babr v 12: κέρατα ἐμπλακείς	Kor 181[a]: τῶν κεράτων αὐτῆς ἐμπλακέντων
	181[b]: συνέβη τὰ κέρατα αὐτῆς ἐμπλακῆναι
vv 14 sq: οἱ γὰρ πόδες μ'ἔσῳζον, οἷς ἐπηδούμην, | τὰ κέρατα δὲ προὔδωκεν οἷς ἐγαυρούμην	181[a] = pag 364/5: ὑφ' ὧν μὲν ᾠμην προδοθήσεσθαι, ὑπὸ τούτων ἐσῳζόμην

sunt ergo haec non Babrii, sed fontis eius pedestris propria. itaque apparet hunc cum Babrio consensum nihil valere (cf Christofferssonii Studia de fontib fabb Babrian (Lund 1904 pag 58). minime ceterum in cervi dictis mirum est, quod Babrius hic fontis sui formam verbotenus fere receperit. obtinent enim haec verba affabulationis et locum et vim. semper autem in fabularum historia id observandum est, quod praecipue eae sententiae morales, quae fabellae personis ipsis attribuuntur, saecula perdurant. qua de lege haud minus evidenter de vulpe et leone fabella testatur (cf pag 26).

Digitized by Google

Sed nc ulla dubitatio dc Ps-Dosithei et Romuli communi fonte relinquatur, etiam ex alia parte rem confirmare liccat. est enim Ps-Dosithei apologus in universum minus in artum contractus quam Romuli. velut magister cervum expressis verbis *aestivo tempore* sitis explendae causa ad fontem *limpidum et altum* accedentem facit, cum Romuli exordium omni ornamento carcat: *cervus bibens de fonte.* ubi deinceps cervus umbram suam in aqua videt atque de corporis figura iudicat, Ps-Dosithei narratio iterum multo uberior est nec minus denique in exitu fabellae.

Hinc igitur sequitur Ps-Dòsitheum ab eo, quem nos tenemus, Romulo profectum esse non posse. quae cum ita sint, statuendum est Ps-Dositheum c fabella deperdita pendere, quae, quamquam cum hoc Romulo intima cognatione coniuncta erat[1]), tamen multo auctior et uberior erat quam ille. huic fonti etiam Phaedri verba Ps-Dositheo inserta attribuenda videntur esse.

Id ergo novum est, quod effecimus: non Babrii, sed latini illius Aesopi vulgaris dico Romuli copiis Ps-Dosithei de cervo ad fontem apologus addicendus est, tamen ita, ut aetate illo paulo prior sit[2]).

Iam quaestio oritur, num eadem ratio in ceteris quoque vel in nonnullis aliis fabellis inveniri possit.

Ps-Dos 11(5)

(Böck 11; Bouch pag 509; Götz H L pag 44, Frg P pag 97)

Idem communis fons statuendus est inter Ps-Dositheum et Romulum in fabella de cane carnem super fluvium ferente:

Phaedr I 4 = Adem 7[3]); Babr 79 — Ign Diac Tetr I9; Theon prog 3 = Kor 209[c]; Aphth 35 = Kor 209[f]; Rom (Burn I5, Flor I5, Vindob 5, Wissemb I6); Syntip 28 = Kor 209[e]; Anonym = Kor 209[a=b] [4]).

---

1) Vide, quam non distincte haec exposuerit Zander in commentatione de generibus et libris paraphrasium Phaedrianarum (Act universitat Lund XXXIII 1) pagg 23 sq.

2) Ad similem fontem etiam Kor 181[a]∼[b]∼ pag 364/5 redire videntur. iam supra enim commemoravimus has fabellas ad Ps-Dositheum et Romulum ideo spectare, quod etiam in his cervus primum cornuum magnitudine gloriatur, deinceps crurum tenuitatem reprehendit. praeterea ne alia quidem, quae Ps-Dosithei et Romuli propria esse demonstravimus, in his Aesopi fabellis desideres. quod autem maximum est, etiam additamentum illud (cf pag 7) Romuli in his recensionibus invenies. — forsitan quispiam in leone, qui in hac quidem serie pro venatoribus substitutus est, offendat. hanc autem personam primitus in fabella non exstitisse iam inde verisimile est, quod leo prorsus venatorum partes, non quae naturae eius conveniunt, agit. neque enim umquam leonem praedam, cum semel effugerit, persequi notissimum est (Zell, Neue Tierfabb (Stuttg 1906) pag 9). — cf ceterum Phaedri *ramosa cornua* (v 5) cum Kor 181[a]=[b]=pagg 364/5: ὁρῶσα τὸ μέγεθος καὶ ποικιλίαν (sc τ κεράτων).

3) Apud Thieleium pag 42.

4) Fabellae mentio fit in Doxopatre = Rhet G II pagg 188 sq W. invenitur Babrianae fabellae epimythium praeterea in Georgidis Gnomis (ed Boissonade Anecd I pag 17).

Digitized by Google

Etiam hic agnoscas duo narrationum genera. inducit altera series canem carnis umbram in aqua undulis amplificatam videntem: Babr 79, Aphth 35 Ps-Dos 11(5), Rom (Burn I 5, Flor I 5, Vindob 5, Wissemb I 6), Syntip 28, altera autem: Phaedr I 4 = Adem 7, Theon 3, Kor 209$^{a=b}$, Tetr I 9 canem non modo carnis imaginem, sed etiam alium canem aliam praedam ferentem. sed quibusdam ex his (Theon 3, Kor 209$^{a=b}$) cum priore genere id commune est, quod canis carnis umbram maiorem quam veram carnem putare insuper narratur. quod additamentum, ut hanc rem iam hic persolvam, valde supervacaneum esse mihi videtur. sunt enim canes tam avidi, ut alteri cani quamvis parvam praedam minime concedant.

Videmus ergo in hac fabella Ps-Dositheum et Babrium et Romulum certa ratione cohaerere.

Ac primum quidem in Ps-Dosithei et Babrii necessitatem inquiramus. magistello cum Babrio praeter illud, quod supra attulimus, etiam id commune est, quod in principio canis carnem non modo in ore tenere ut in Phaedro (= Adem), Romulo, Aesopo pedestri, Tetrastichis, sed etiam rapuisse narratur: Babr v 1: κρέας κύων ἔκλεψεν ἐκ μαγειρείου — Ps-Dos: κρέας κύων ἁρπάσας *carne canis rapta.* neque tamen hoc multum valet. nam etiam in Phaedro non tam de canis cotidiana esca quam de carne rapta agi e versu 4 (vidit canis *aliamque praedam ab altero ferri*) satis apparet. cur omnino in omnibus narrationibus canis flumen petit? certe non casu, sed ut persequentes effugiat. apparet ergo, quamquam in nonnullis formis non expressis verbis significatur canem carnem furatum esse, tamen omnes, quae omnino traditae sunt, ad recensiones spectare, quae initio Babrianae et Ps-Dositheanae simillimae fuerint[1]). potest ergo hic quidem consensus inter Babrium et Ps-Dositheum etiam ad fabellae stirpem redire.

Deinceps, quod ad sermonem attinet, Ps-Dosithei τοῦ κρέως τὴν σκιὰν *carnis umbram* (abhorret Par) primo aspectu ad Babriani versus 3 τοῦ κρέως ... τὴν σκιὴν cum propter verborum similitudinem tum propter singularem ordinem spectare iudices. neque tamen obliviscendum est in hac fabella, quod quidem ad Hermeumata Leidensia attinet, vestigia inveniri, e quibus eluceat graeca postea a quodam graecae linguae plane indocto latinis accommodata esse, sicut paulo infra: καὶ θεασάμενος τοῦ κρέως τὴν σκιὰν ὑπώπτευσεν μείζονα εἶναι ἧς (falso pro οὗ) ἔφερεν *maiorem esse ⟨ea⟩ quam ferebat.* quare etiam illum insolitum verborum ordinem τοῦ κρέως τὴν σκιὰν ex τὴν τοῦ κρέως σκιὰν postea factum esse puto, et id ea de causa, ut graeca quam proxime ad latina *carnis umbram* accederent. apparet ex his Ps-Dositheum a Babrio dependere non necesse esse. verisimillimum est has duas recensiones, cum alteram ab altera haud procul distare non negandum sit, e fonte haud multo diverso derivatas esse.

Sed tota haec similitudo levioris est momenti. contra demonstrari potest Ps-Dositheum multo propius ad Romulum accedere, ad quem etiam assumatur Phaedrus.

---

1) Sed cf Christofferssonium pagg 34 sq.

Digitized by Google

Consentit Romulus, ubi primariae eius formae sensus Phaedri sententiis non obscuratus est[1]), in universum cum Ps-Dositheo. primum in utroque canis flumen transit, non ad ripam vagatur sicut in Babrio (v 2 παρῆει ποταμόν). quamquam etiam in Phaedro canis flumen transgreditur, tamen haec ipsa transgrediendi ratio in latino poeta prorsus ab illis abhorret. Phaedrus enim canem flumen tranantem male finxit[2]). in Romulo autem canis flumen tantum transiens inducitur, scilicet in ponte. deinceps Ps-Dositheo cum Romulo id commune est, quod in utroque, ut iam supra monuimus, canem tantum carnis umbram in aqua videre, non alterum canem alteram praedam ferentem narratur. etiamsi in nullo alio nisi in Romulo Vindobonensi carnis umbra *maior* quam vera caro a cane fingatur, tamen inde, quod ipsa hac recensione plurima vetustioris Romuli frustula ad nos pervenerunt[3]), haud sine veri specie statuendum est etiam hic primarium illum Romulum a Romulo Vindobonensi servatum esse. hunc autem locum in ceteris Romuli recensionibus mutilum esse ex eo optime explanari posse puto, quod postea cum Phaedro contaminatus sit. ibi autem canem carnis umbram ipsa maiorem putare iure omittitur, quia hic fabellae summa non eo continetur, quod canis alteram carnem propter magnitudinem suae praefert, sed quod ille canum more alterius canis praedae invidet.

Concludere ergo possumus Ps-Dositheum et Romulum ex eodem vel simili fonte originem duxisse.

Quod confirmant nonnullae verborum similitudines inter Romulum et Ps-Dositheum intercedentes:

Rom	Ps-Dos
in ore suo ferebat Flor *suo* omis Wissemb; distant ceteri	ἧς ἔφερεν ⟨*ea*⟩*quam ferebat* (distat Frg P)
amittit proprium	ἀπέβαλεν *amisit* (*contigit ei amittere* συνέβη αὐτῷ ἀποβαλεῖν)...ἀποβάλλουσιν τὰ ἴδια *amittunt sua* (*propria*)

Sunt etiam in hac magistri fabella verba et sententiae, quae Phaedrum olent sicut: *amisit* et *amittunt* (*propria*). quamquam inter priorem et hunc apologum id interest, quod, quibus Ps-Dositheus cum Phaedro congruit, ea ipsa illic quidem in Romulo desiderantur (cf pagg 7—9), hic autem et Romulo cum Phaedro communia sunt. id ergo, quod supra tantum coniecimus (pag 9), iam constare mihi videtur: per Romulum Phaedri illa frustula in Ps-Dositheum irrepserunt. tamen hic fons ab eo, quem nos manibus terimus, Romulo eo abhorruit, quod modo illo propius ad Phaedrum accessit, modo, ut ita dicam, plus Romulus fuit.

---

1) In Romuli enim recensione — Ademaro excepto, qui hic non Romulus est, sed e Phaedro verbotenus depromptus —, etiamsi primitus non ad Phaedrum redeat, tamen passim Phaedriani sermonis frustula subaudiuntur.

2) Cf infra pag 40.

3) Ut Thieleius mecum benigne communicavit.

Digitized by Google

Ps-Dos 9(3)

(Böck 9; Bouch pagg 507sq; Götz H L pagg 43 sq, Frg P pagg 96 sq)

Similem rationem invenimus in fabella de corvo et vulpe:

Phaedr I 13 = Adem 15; Babr 77 — Ign Diac Tetr I 15; Rom (Burn I 14, Flor I 15, Vindob 15, Wissemb II 7); Aphth 29 = Kor 204c; Anonym = Kor 204a, b, e [1]).

In hac fabella mirus intercedit consensus inter Ps-Dositheï, Phaedri, Romuli Wissemb affabulationes. hoc eo gravioris est momenti, quia huius epimythii sententia communis et ipsa est notabilis. neque enim hic, ut e fabellae argumento exspectandum erat, praecipitur, ne blandientibus verbis fidem habeamus ut credulus fecit corvus [2]), sed ut vulpis mores imitemur, quia sapientia plus quam vi efficiatur: Ps-Dos: οὕτως οἱ πολλοὶ, ὅτι δυνάμει οὐ δύνανται, φρονήσει ἐκπλέκουσιν *sic complures, quod virtutibus non possunt, sapientia explicant* (*multi . . . viribus*) — Phaedr: *hac re probatur, ingenium quantum valet*; | *virtute semper praevalet sapientia* [3]) — Rom Wissemb: *sic multi, quod viribus non possunt, sapientia explicant.*

Iam quaestio oritur, undenam haec inter affabulationes congruentia originem ducat. Romulum Wissemb prae ceteris cum Phaedro cohaerere notissimum est. plane autem cum illo Ps-Dositheï Fragmentum Parisinum consentit, cum Hermeneumata Leidensia — etsi uno solo verbo *virtutibus* — propius ad Phaedrum (*virtute*) accedant. res ergo ita est: Ps-Dositheï praeceptum morale in universum cum Romulo Wissemb artius quam cum Phaedro cohaeret. Romuli Wissemb autem epimythium certe e Phaedro petitum est.

Duae nunc exsistunt rationes, quibus hic Ps-Dositheï et Romuli Wissemb consensus explanari potest. aut res sic se habere potest: Ps-Dositheï sententia moralis e Romulo Wissemb decerpta est. aut hoc praeceptum e communi fonte et in magistri et in Romuli Wissemb collectionem profectum est. quod valde commendatur eo, quia Hermeneumatum Leidensium affabulatio vocabula *virtutibus* magis ad Phaedrianam quam ad Romulum Wissemb accedit.

Hausit ergo Ps-Dositheus affabulationem suam — fortasse etiam alia — e latina fabellarum collectione, quae quamquam huic Romulo Wissemb simillima fuit, tamen quadam ratione magis ad Phaedrum spectavit quam hic Romulus Wissemb. iam credo equidem satis apparuisse, unde Ps-Dositheus

---

1) Fabellae vestigia iam in Horatio sat II 5, 56 apparent.

2) Cf exempli causa Koraisii 204b epim ὅτι οὐ δεῖ τινα ὑπό τῶν κολάκων ἀπατᾶσθαι. praebet Phaedrus etiam hoc alterum praeceptum idque promythii loco.

3) Sunt et inter eos imprimis Havetus, (in editione sua pagg 16 sq et 241), qui Phaedrianum epimythium, quia in Ademaro, Romulo Burn, Flor, Vindob desit — haud raro Romulus Wissemb sententiis moralibus a ceteris Romuli libris discrepat ut in apologis Rom III 10, 20, IV 10 — alteri Phaedri fabellae et ei deperditae attribuant. licet longe petitum sit, tamen non ita ineptum videtur: perfugit vulpes ad dolum, quia se vi vel virtute caseo potiri non posse statim intellegit.

Digitized by Google

affabulationem deprompserit. incidimus ergo etiam hic in communem Romuli et Ps-Dosithei fontem.

Eiusdem originis etiam fabellam ipsam esse iam per se verisimillimum est. certe tamen de hoc testantur verborum similitudines haud paucae inter Ps-Dositheum et Romulum intercedentes:

Phaedr	Rom Burn	Ps-Dos
v 3: *cum-corvus raptum caseum*	*cum-corvus caseum raperet*; *rapuisset* Flor	κόραξ τυρὸν ἁρπάσας *corvus caseum rapuit* (*rapiens* ⟨ἁρπάσας⟩)
v 4: *celsa residens arbore*	*alta consedit in arbore*	καὶ ἐπάνω δένδρου πετασθεὶς ἐκάθισεν *et super arborem volans sedit* (omis *volans* ἐπὶ δένδρου)
v 8: *si vocem haberes*	*si vocem habuisses*; *haberes* Vindob et Wissemb	ὅτι φωνὴν οὐκ ἔχει *quod vocem non haberet* (μὴ pro οὐκ)
v 10: *emisit ore caseum*	*caseum deiecit*; *amisit* Flor et Vindob *deorsum-misit* Wissemb	deest in H L (*deiecit caseum* τὸν τυρὸν κατέβαλεν)
vv 10, 11: *quem ... vulpis rapuit*	= Rom *cadentem* add Vindob	τὸν τυρὸν πεσόντα ἀλώπηξ ἁρπάσασα ⟨*cui*⟩ *caseum cadentem vulpes raptum* (ὃν ἥρπασε ἡ ἀλ)
	ore patefacto	ἤνοιξεν τὸ στόμα *aperuit rostrum* (distat Frg P)
	validius sursum clamavit; *coepit clamare* Vindob *val ex hoc cl* Wissemb	periit fortasse in H L (*corvus clamavit* ὁ κόραξ ἔκραγεν)

Statuendus ergo est etiam in hac fabella Ps-Dosithei et Romuli idem fons communis, in quem iam antea in affabulatione inquirenda incidimus, dico Aesopum illum latinum, cuius novissima stirps is est, quem tenemus, Romulus.

Ps-Dos 18(17)

(Böck 18; Bouch pagg 523—25; Götz H L pag 47, Frg P pagg 101 sq)

Eadem fere ratio est magistri fabellae de mure rustico et urbano:

Horat sat II 6, 78 sqq; Phaedr = Adem 13[1]); amplior Phaedro est Rom (Burn I 12, Flor I 12, Vindob 12, Wissemb II 1); Babr 108 — Kor 301[b] — Myth 10 (pag 217 Crus); Aphth 26 = Kor 301[a].

1) Apud Thieleium pagg 12sq, pag 45.

Digitized by Google

Etiam hic magistrum deprehendimus ad Phaedrum et Romulum, non ad Babrium eiusque imitatores spectantem.

Intercedit autem praecipue haec inter eos differentia. in Babrio enim et in iis, qui ex eo dependent, pro ceterorum mure urbano substitutus est mus domesticus: Babr v 2: ὁ δ' ἐν ταμείοις πλουσίοισι φωλεύων, v 4: ὁ δ' οἰκόσιτος = Kor 301[b]: ὁ δὲ οἰκόσιτος, Myth 10 v 3: ὃς δὲ δόμοισιν ἐν ἀφνειῶν τρέφετ' ἀνδρῶν[1]).

Res ergo se habet ita. Babrius recensionem praebet prorsus singularem, cum Ps-Dositheus vulgarem sequatur traditionem. Crusio et Hausrathio ergo si accederes, non tibi demonstrandum esset magistrum a Babrio non profectum esse — hoc in promptu manifestumque est —, sed id, cur ille id ipsum, quod Babrii proprium est, non recepisset.

Deinceps in Babrio expressis verbis enumeratur, quibus deliciis mures in divitis cella fruantur ut ficis, palmulis, melle, caseo. quamquam ne in Ps-Dositheo quidem silentio praeteritur, qualem cibum mus urbanus muri rustico apponat, tamen quantum distant haec ab illis, quibus in Babrio vescuntur! nam eaedem ficus, quibus apud Babrium dives mus domesticus alitur, in Ps-Dositheo inter cotidianam agrestis muris pauperis escam habentur. mus autem urbanus apud magistrum hospiti carnis, placentarum, piscium copiam praebet. quod quadam ratione cum Horatii convivio conferri potest. inducit enim Venusinus poeta mures in divitis domo iis, quae *de magna cena* (v 104) supererant, se delectantes. quae certe nobiliora erant quam Babrii ficus vel eiusmodi fructus. — hic Ps-Dositheus primo obtutu valde a Phaedro nec non Romulo abhorrere videtur, quoniam in his nihil de cibi genere affertur. tamen circumspectanti mihi occurrit pictura in Vossiano, Ademari codice, servata, ubi praeter cupam incertis pomis refertam pernae in divitis cella cernuntur[2]). fortasse ergo hic vestigia antiqui fontis apparent, in quo mures item atque in Ps-Dositheo delicatiore cibo quam apud Babrium fruentes inducti erant.

Ceteris autem locis Ps-Dosithei apologus proxime ad Phaedrum et Romulum accedit. non τις ut in Babrio, Bodleiano, Aphthonio, sed ut in Phaedro et Romulo certa persona (cellararia) apud magistrum mures in cena perturbat. intratur denique in cellam apud Ps-Dositheum, Phaedrum Romulumque semel, in Babrio autem eiusque imitatoribus iterum ac saepius et id a compluribus personis.. argumentum ergo Ps-Dosithei multo artius cum Phaedro et Romulo cohaerere quam cum Babrio facile concedas.

Huc accedit, quod etiam verborum similitudines in Ps-Dositheo cum Phaedro et Romulo inveniuntur: Ps-Dos: σὺ μέν, ἔφη, ταύτης ἀπόλαυε τῆς τροφῆς μετὰ τοσούτων ἐδεσμάτων, ἐγὼ δὲ χαίρω τῇ μετ' ἀδείας καὶ ἐλευθερίας

---

1) Quae, quantum valeant, ex iis, quae infra de hac re disputavi, perlucidius fit.

2) Apud Thieleium tab IV et pag 45: *An der Ecke des Gewölbes hängt in 2 Strickösen eine Stange, die sich unter der Last von 3 Hinter- und einem Vorderschinken biegt.*

Digitized by Google

τροφῇ *tu, inquit, fruere eas epulationes cum tantis cibis, ego autem gaudeo soluto et libero cibo* (*tu quidem, inquit, his fruere deliciis* (cetera omissa sunt)) — Rom: *tu fruere, inquit, istis omnibus*; *tu, inquit, his solus fruere bonis* Vindob — Phaedr (Adem): *me glans pascat liberam . . . haud has tu poteris invenire delicias.*

Haud minus certe ergo etiam magistri de muribus rustico et urbano apologus Romuleis copiis addicendus est.

Ps-Dos 2(2)

(Böck 2; Bouch pag 505—07; Götz H L pag 40 sq, Frg P pag 96)

Eundem fontem demonstrare possumus, si non firmis argumentis, at certe verisimilibus in fabella de mure leonem e somno excitante:

Phaedr = Adem 18 [1]); Babr (82 +) 107; Tabb Assend V^{vo} et VI^{ro}) = Ps-Dos; Rom (Burn I 17, Flor I 18, Vindob 18, Wissemb II 11); Anonym = Kor 217 initio excepto = pag 373 [2]).

Iterum hic ut in priore apologo iam primo obtutu magistellum deprehendimus argumento multo propius ad Aesopum vulgarem quam ad Babrium accedentem. valde enim graecus poeta a ceteris fecit abhorrens sui apologi exordium [3]). non e somno suscitatus apud eum leo arripit murem temerarium, sed — incredibile est dictu — a venatione reportat huius bestiolae praedam. quamquam Babrius insuper et aliam exhibet fabellam, quae initio est Ps-Dositheo simillima — dico Babrium 82 —, tamen ambos auctores artius cohaerere negandum videtur esse. ut sit Ps-Dositheus Babrii paraphrasta: conflavit Babrium 82 cum Babrio 107 exordium sibi depromens ex illo, ex hoc cetera. id autem ipsum non nisi Aesopea traditione vulgari sive adhibita sive cognita fieri poterat. rem cum sic se habere necesse sit, nescio, cur Ps-Dositheum potius et a Babrio et ab Aesopo vulgari, quae est necessitas valde complicata, quam recta via solo ab hoc profectum esse iudicem, nisi forte sum coactus verborum similitudinibus apertis. quae tamen, si sunt revera, et numero exstant pauciores, quam ut ex iis Ps-Dositheum cum Babrio cognatum esse statuere possumus, et carent, quod plus valet, omnibus Babriani sermonis proprietatibus:

Ps-Dos	Babr 107
μῦς ἐπάνω λέοντος κοιμωμένου ἐφήλατο *mus super leonem dormientem insiluit*	(κοιμωμένου λέοντος . . . χαίτης μῦς διέδραμεν 82 v 1 sq)

1) Apud Thieleium pag 46.

2) Attigerunt apologi argumentum Julian in epist 8 et Liban in epist 47.

3) Babrium hic a traditione vulgari discrepare iam observavit Christofferssonius pagg 53 sq. tamen mea quidem sententia in eo errat, quod variationem illam non poetae ipsi, sed alicui attribuat librario.

Digitized by Google

χάριν ἐπηγγέλλετο *gratiam repromittebat*	v 8: χάριν τίσω
λέων γελῶν *leo ridens*	v 9: γέλάσας δ' ὁ θὴρ
εἰς δεσμὰ βληθεὶς *in vinculis* (male) *missus* (*vincula* πεμφθεὶς)	v 10: ἐδεσμεύθη
ἀνταποδοῦναι τὴν χάριν ἠθέλησεν *restituere leoni gratiam voluit* (*reddere* ἤθελεν)	v 14: δοὺς μισθὸν

Nec minus discrepant, quod quidem ad argumentum attinet, Phaedrus et Romulus a Ps-Dositheo. nam primum quidem in Phaedro et Romulo non unus mus, sed complures circum leonem ludentes inducuntur, e quibus tamen unus ut in magistro et omnino in ceteris variationibus leonem e somno excitat. deinde mus, postquam a leone arreptus est, non ut in magistro ceterisque formis promittit se illi gratiam relaturum esse, si dimittatur. leo denique in Phaedro et Romulo non solum vinculis vel retibus, sed etiam insuper fovea capitur.

Quo magis mirum est, quod tamen nonnullae verborum similitudines inter Ps-Dositheum et Phaedrum et Romulus intercedunt:

Phaedr (Adem) + Romul[1]	**Ps-Dos**
dormiente leone ... mus super leonem ... transiit; distat Rom Burn *transiluit* Wissemb	μῦς ἐπάνω λέοντος κοιμωμένου ἐφήλατο *mus super leonem dormientem insiluit*
ille rogabat veniam	ἐκεῖνος δὲ συγγνώμην ἠτήσατο *ille autem veniam peti⟨i⟩t*
dimisit	ἀπέλυσεν αὐτὸν *dimisit eum* (= Kor pag 373)
post paucos dies	μετ' οὐ πολὺ δὲ *sed ⟨paulo⟩ post* (*post modicum* μετ' ὀλίγον) (cf Kor pag 373 = 217)
captum se ut agnovit	ὑπὸ κυνηγῶν ληφθεὶς *a venatoribus captus*
parem gratiam tibi reddam non immemor beneficii	τότε ὁ μῦς μνησθεὶς ἀνταποδοῦναι τῷ λέοντι τὴν χάριν ἠθέλησεν *tunc mus restituere leoni gratiam voluit* (*tum mus memor reddere gratiam leoni voluit* ... ἀναμνησθεὶς ... ἤθελεν)
cognovit loca rodenda	τρώγων τὰ σχοίνια *rodens funes* (δι⟨α⟩ τρώγων)
leonem liberum silvis restituit	ἠλευθέρωσεν τὸν λέοντα *liberavit leonem leon lib* τὸν λέοντ ἠλευθ)

1) In hac fabella Phaedri propria a Romuleis secerni non possunt, quia et Phaedrus ipse iniuria temporum periit et Ademarus, qui Phaedrum deperditum amplectitur, cum Romulo verbotenus fere congruit.

Digitized by Google

Haud ergo sine veri specie concludendum est Ps-Dositheum cum Phaedro (Adem) et Romulo quibusdam rationibus cohaerere.

II

De fabellis, quae non e Romulo, sed alieno ex fonte haustae sunt: 3, 6, 14, 15.

Ps-Dos 3(7)

(Böck 3; Bouch pagg 511 sq; Götz H L pag 41, Frg P pagg 97 sq)

Primo loco ponatur de murium et mustelarum bello historiola:

Phaedr IV 6; Babr 31; Syntip 41 = Kor 242[c]; Anonym = Kor 242[a] = pagg 382/3, Kor 242[b], pagg 383/4.

Differt Ps-Dositheus nec non Phaedrus, Syntipas, Koraisius 242[a] = pagg 382/3 a Babrio praecipue eo, quod in illis murium duces cornua in frontibus habent, in hoc autem κάρφη (v 14). servavit ergo hic iterum magister vulgarem traditionem Aesopeam [1]), cum solus Babrius apologum suum ab illa valde abhorrentem fecerit [2]). absurdum ergo est iudicare Ps-Dositheum fabellam sûam e Babrio vel eius paraphrasi hausisse, cum ea ipsa, quae Babrii propria sunt et in quibus solis certa argumentatio stare potest, frustra requiras.

Hoc insuper eo confirmatur, quod in Ps-Dositheo murium duces a ceteris ornantur (cf Kor 242[b]), non sibi ipsi cornua vel similia signa alligant, ut in Phaedro, Babrio, Syntipa, Koraisio 242[a] = pagg 382/3. hac enim re non solum argumenti, sed etiam sensus differentia gravissima inter magistrum ceterosque efficitur. proficiscitur Ps-Dositheus e sola illa vulgari sententia: qui in summis honoribus sunt, facilius labuntur. in ceteris autem non tam fortunae casus quam morale illud praeceptum neminem inultum peccare illustratur. nam minus hic murium duces ideo, quo melius ab exercitu conspiciantur, quam superbia perducti imperatoriae dignitatis signa sibi sumant. videmus ergo Ps-Dositheum a Babrio profectum esse non posse.

Sed etiam a ceteris — si unum id excipis, quod apud eum quoque cornua inducta sunt — distat adeo, ut frustra eius stemma constituere coneris. primum apud magistrum cornua illa ut in nutricularum fabellis insuper et *aurea* vocantur. huc accedit, quod hic murium duces ab aliis muribus, non a se ipsis ornantur, ut iam supra commemoravimus. denique id in Ps-Dositheo notabile est, quod mures a mustelis fusi et fugati non in artos cavos evadunt, quod tamen magistri e mala interpretatione ortum esse videtur.

---

1) Ut in apologo de mure et leone. de Aesopi vulgaris recensione qualis fuerit, cf Christofferssonium pag 37.

2) De hac Babrii variatione paulo infra accuratius disputem.

3) Koraisius 242[b] quidem unus et solus exhibet (mures) τοὺς στρατηγοὺς — καθοπλίσαντας τοῖς μείζοσι ξύλοις τῶν ἀχύρων ἀντὶ δοράτων; quam tamen non antiquam formam, sed Babrii esse corruptam paraphrasin e multis aliis eius locis apparet.

Digitized by Google

Ps-Dos 14(14)

(Böck 14; Bouch pagg 518 sq; Götz H L pag 45, Frg P pag 100)

Similis ratio statuenda est in fabella de tribus hircis et tauro:

Babr 91 (= Tab Assend IV^{vo} et V^{ro}), unde derivatae sunt: Av 13, Ign Diac Tetr I 32, Anonym = Kor 277; Syntip = Kor 382^{a} ~ 382^{b}; Rom (Burn IV 16, Flor III 36, Vindob 77) = Ps-Dos.

Praebet etiam hic Ps-Dositheus apologum prorsus a Babrio distantem. nam primum apud magistrum non unus, sed tres hirci in spelunca versantur. quod summi momenti est. certum enim numerum ternarium pro incerta personarum vel rerum multitudine substituere vulgi est consuetudo usitatissima [1]). iterum ergo magistellum deprehendimus populi rationes in fabellis componendis observantem [2]).

Huc accedit, quod in magistri fabella hirci taurum e spelunca expellere non conantur ut Babrii hircus, sed illi trepidanti illudere satis habent. quam primo obtutu corruptelam esse iudices, quia haud facile intellegitur, cur Ps-Dosithei hirci taurum nec a se ipsis petitum nec impetum declinantem irrideant. neve tamen obliviscaris persaepe in vita cotidiana accidere, ut is, qui forte sine causa, ut videtur, celerius festinans conspicitur, hunc in modum ludificetur: quem ad finem contendis? certe magno praemio pro currendo afficeris! similis sensus quamvis nunc obscuratus primitus magistro subfuisse mihi videtur, unde illum non modo non e Babrio profectum esse, sed etiam prorsus alienam fabellae recensionem et eam iterum popularem praebere apparet.

Hoc non eo labefactatur, quod nonnullae verborum similitudines inter Ps Dositheum et Babrium intercedere videntur. nam pauciores sunt, quam ut ex his quaedam necessitas inter Babrium et magistrum statui possit [3]):

Ps-Dos	Babr
ταῦρος φεύγων λέοντα ὅπου ἦσαν τράγοι τρεῖς	v 1: λέοντα φεύγων ταῦρος v 12: ὅπου τράγος τις

Est ergo etiam haec Ps-Dosithei fabella Babrianis copiis abiudicanda.

Iam nova quaestio nobis oboritur. dico miram illam congruentiam, quae inter Ps-Dositheum et Romulum non solum hic, sed etiam in

---

1) Cf Usenerum (Dreiheit) in Musei Rhen vol 58. rara ceterum fortunae gratia variatio exstat, ubi totus caprarum grex invenitur, dico Kor 382^{a} ~ ^{b} = Halm 396^{b}.

2) Reminiscere aurea cornua in historiola de murium et mustelarum bello.

3) Affabulationis autem consensum apertum: Ps-Dos: οὕτως . . τὰ δυνατὰ πρόσωπα . . ὑβρίζονται — Babr: πρὸς τοὺς τοῖς δυνατωτέροις ἐπεμβαίνοντας cf Bodl promyth: ὅτι . . καὶ δυνατοὺς ἄνδρας αἱ συμφοραὶ ταπεινοῦσι in quaestionem vocare ob id destiti, quia plane incertum est, utrum Babrii sit ipsius necne (cf Hohmannium De indole atque auctoritate epimythiorum Babrianorum pag 124 Regimonti 1907).

Digitized by Google

multis aliis fabellis sicut: Ps-Dos 5 (9) = Rom IV 11, 6 (11) = IV 12, 8 (10) = IV 13, 10 (4) = IV 14, 13 (13) = IV 15, 15(15) = IV 17, 16 ~ IV 18, 17(16) = IV 19 intercedit. iudicavit Rothius[1]), qui primus e viris doctis in hunc consensum incidit, Romulum hanc quidem seriem e magistro hausisse. hoc enim primum inde confirmari, quod Romulus, etsi in universum Ps-Dositheanarum fabularum ne ordinem[2]) quidem permutavisset[3]), tamen industrie eas fabellas, quarum argumenta iam in prioribus libris exstarent[4]), omisisset. huc accedere, quod permulti Ps-Dosithei loci manifesto a Romulo in deterius versi essent, sicut in hac fabella exordium[5]). hic quidem Romulum variationem praebere graviter corruptam concedo. tamen videamus, num Rothio in ceteris quoque huius seriei fabellis accedendum sit[6]).

Ps-Dos 15(15)

(Böck 15; Bouch pagg 519/22; Götz H L pagg 45 sq, Frg P pagg 100 sq)

Item Babrio abiudicanda esse mihi videtur[7]) magistri narratiuncula de hominis et leonis disputatione:

Schol ad Eurip Med 424 II pag 167 Schw; Babr (Bodl Paraphr) 194, e quo fortasse dependet Avianus XXIV (Ellis) et Ign Diac Tetr I 1; Rom (Burn IV 17, Flor III 37, Adem 52 pag 58 Th) = Ps-Dos; Anonym = Kor 219[a], 219[d], pag 374; similis sensus subest Xenophanis Frg 15 pag 40 (Diels) et Plut Apophth Lacon Var pag 232 F.

Discrepat Ps-Dositheus primum exordio ab omnibus ceteris eiusdem argumenti historiolis. Aesopus enim ipse hic ut saepe apud Phaedrum[8]) et in vita sua[9]), quam manibus tenemus, narrans inducitur, ut apologi ambitu illustret, *quare mulieres viris dotem dant, et non viri mulieribus.* tamen primo

---

1) Die mittelalterl Samml lat Tierfabb in Philologi vol 1 pagg 523 sqq; cf pagg 539 sq. Rothium sequitur Hausrathius, Das Problem der Aes Fab (IIb Jahrbb 1898) pag 321.

2) Scil qualem praebet Böckingius, quem ille sua aetate tantum in quaestionem vocare poterat.

3) Eundem ordinem deprehendimus etiam Romulum Flor observantem: III 31—39, cum apud Ademarum, Romulum Vindob et Wissemb huius seriei tantum frustula nobis servata sint.

4) Sunt haec: Ps-Dos 9 — Rom I 14; 11—I 5; 12—I 3.

5) L c pag 540[18]: *Der Lateiner — fängt sinnlos so an: Ubi erant tres hirci, viderunt equum timentem, indem die ganze Zeile fehlt: Taurus — misit, ubi erant tres hirci, qui ut viderunt eum* [daraus *eum equum*] *timentem.*

6) Totam autem hanc quaestionem postea diversis locis accuratius persolvam; cf pagg 24, 27, 28, 30, 33 sq.

7) Ps-Dosithei additamentum, utrum a Babrio profectum sit necne, iam Crusius et ipse in dubitationem vocavit in apparatu critico Bodleianae Paraphrasi 194 addito.

8) Phaedr I 2, 6, II 3, III 3, 5, 14, 19, IV 5, 7, 18, 22, App 7, 10, 15, 18.

9) Ed Eberhardius in Fabb Romanens I pagg 297 sqq (Lips 1872).

Digitized by Google

obtutu frustra quaeras, quanam ratione haec introductio cum fabella ipsa cohaereat [1]). an hoc exordium casu quodam ab alieno argumento ad hoc deerrasse putare debemus? qua in difficultate obvenit mihi scholium ad Euripidis Medeam 424 (Schw). cantat enim in Euripide ipso (v 410 sqq) mulierum chorus, quamquam antea sibi semper a poetis maledictum sit, tamen nunc merito, postquam Jaso Medeam perfide destituerit, vice versa, si carmina fingere possent, virorum maleficia se notaturas esse. quibus cum versibus scholiasta iure confert de homine et leone fabellam: οὐ γὰρ ἐν ἡμετέρᾳ γνώμῃ τὴν τῆς λύρας θέσπιν ἀοιδὴν ἐδωρήσατο ὁ Ἀπόλλων οἷον· οὐ δύναταί ἐσμεν ἡμεῖς αἱ γυναῖκες ποιήματα γράφειν, ἐπεὶ τάχα ἂν αἱ γυναῖκες ἀντεκωμῴδουν τοὺς ἄνδρας, τὴν δὲ ἑαυτῶν φύσιν ἐπήνουν, κατὰ τὸν τοῦ λέοντος μῦθον· λέων γὰρ ἰδὼν λέοντα ὑπὸ ἀνδρὸς ἀγχόμενον ἐν γραφῇ, εἶπεν· καὶ ἡμεῖς, εἰ ἤδειμεν γράφειν καὶ πλάσσειν, ἔμπαλιν ἂν οἱ ἄνθρωποι ἐτίθεντο ἀγχόμενοι ὑπὸ τῶν λεόντων. licet ille fabellam cum simili introductione iam coniunctam invenerit, aut, quod verisimilius est, hoc de suo fecerit, id quidem negari non potest quandam necessitatem inter eum et magistrum intercedere. nam etiamsi Ps-Dosithei exordium minus apte ad fabellae sensum quadrare videtur, tamen ei cum scholiasta id commune est, quod apud utrumque mulieres viris opponuntur. ad aliud ergo argumentum illius introductio certe non pertinere mihi videtur.

Sed iam alia ex parte in rem inquiramus! attendas enim: profert fabellam, ut me admonuit Thieleius, etiam Chaucer, anglicanus ille medii aevi poeta, eamque, quod magis mirandum est, ad eandem fere ad quam Euripidis scholiasta disputationem referens: Wife of Bath's Prologue (Skeat IV) v 688 sqq:

it is an impossible
that any clerk wol speke good vf wyves,
but — if it be of holy seintes lyves,
ne of noon other womman never the mo.
who peyntede the leoun, tel me who?
by god, if wommen hadde writen stories,
as clerkes han with — inne hir oratories,
they wolde han writen of men more wikkednesse
than all the mark of Adam may redresse.

Chaucerum hic quidem ad Euripidis scholium redire extra dubitationem mihi videtur esse. tantum ergo quaeritur qua via. hanc autem ille et ipse monstrat. mentionem enim facit inter alios Hieronymi adversus Jovianum disputationis et Theophrasti libri aureoli de nuptiis ex illo nobis noti [2]). etiamsi

---

1) Conferas etiam, quid Rothius de hoc loco iudicaverit pag 540 adn 18: *Einleitung und Schluss des Dositheus wird vom Lateiner* (scil a Romulo) *weggelassen*; *man findet die Gedanken derselben, die sich auch gar nicht sonderlich empfehlen, auch in keiner* (?, sed cf schol ad Eurip Med 424) *griechischen Rezension dieser Fabel.*

2) Chaucer vv 671 sqq; cf Skeatii comment V pagg 308 sq, eius adn ad vv 221

Digitized by Google

de homine et leone narratiunculam in his quidem, quos ille ipse enumerat, auctoribus frustra requiras, tamen iam id summi momenti est, quod eam ab Euripidis scholio omnino ad philosophos delatam esse iure statuere possumus [1]).

Sed ad Ps-Dositheum transeamus. differt hic a scholiasta eo, quod apud eum, ut iam supra vidimus, non de mulierum vitiis, sed de dote agitur. sed ne huic quidem similem disputationem in Euripidis Medea desideras. nimirum, quia philosophus ille poeta imprimis in hac fabella mulierum iura tractat: v 230 sqq [2]):

πάντων δ' ὅς' ἔστ' ἔμψυχα καὶ γνώμην ἔχει
γυναῖκές ἐσμεν ἀθλιώτατον φυτόν·
ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
πόσιν πρίασθαι δεσπότην τε σώματος
λαβεῖν·

Res autem sic se habere mihi videtur. aliquis ex iis, qui de non ducenda muliere scripserunt, philosophis, cum materiem sibi ut ceteri hausisset ex Euripide poetaeque commentariis, fabellam non ad id, ad quod scholiasta, argumentum rettulit, sed ad dotis quaestionem [3]), et narratiunculam fortasse hunc in modum intellegi voluit: ut leones, si fingere nossent, hominem a leone suffocatum fingerent, ita mulieres, si superiores essent, a viris, ut dos ipsis daretur, postularent. quamquam concedo in hac interpretatione aliquid duriusculi inesse. utut id est, hoc quidem mihi constare videtur Ps-Dositheum fabellam suam ex eiusmodi fonte hausisse. hoc etiam eo confirmatur, quod ille fabellam Aesopo ipsi attribuit, quem populares philosophos non solum persaepe in scripta sua induxisse, sed etiam cum veris philosophis sicut cum Socrate et Diogene confudisse Thieleius nuper demonstravit [4]).

Porro Ps-Dositheus nec non Romulus fabellam auctiorem et productiorem praebent quam ceteri. sed Ps-Dosithei additamentum et ipsum a Romulo differt et multo difficilius est intellectu. apud magistrum enim leo, postquam hominis testimonium eadem qua in ceteris ratione refutavit, alio argumento et eo e natura, non e pictura capto demonstrare vult homines a leonibus virtute superari. neque tamen eius argumentum plus valet quam hominis. itaque merito haec altera leonis ratio ab homine reicitur ut in prima fabellae parte

---

(V pag 296), 692 (V pagg 309 sq) Hertzbergiique adn ad vv 6256 sqq (pag 620 in versione teutonica).

1) Se Euripide usum esse Hieronymus et ipse testatur: Hieron adv Iov I c 47 pag 317: *Totae Euripidis tragoediae in mulieres maledictae sunt.* cf F Bock Stud Lips XIX 1 (1899) pag 66.

2) Cf quae Wilamowitzius in Medeae versionis prooemio ingeniose scripsit (Griech Tragödd Bd 3 (1906)).

3) Revera etiam de hac quaestione ab iis, qui de nuptiis scripserunt philosophis, disputatum esse testis est Hugo Victorius (de nupt lib I vol CLXXVI pag 1206 (Migne); cf Bock pag 70).

4) Thieleius in Hermae vol 41 pagg 581 sqq.

Digitized by Google

hominis a leone. ducimur ergo a Ps-Dositheo quasi in circulo. altera parte demonstratur leones hominibus superiores esse, altera autem homines leonibus et id in eadem fabella.

Apparet has duas partes prorsus sibi obstantes una historiola inclusas esse non posse. sed res sic se habere videtur. exstiterunt illae primitus per se separatim, tamen ita, ut originaria narratiuncula solo prioris partis ambitu contineretur, additamentum autem variationis locum obtineret manifesto ad illius exemplar eiusque certe apud Romanos fictae[1]). attendas enim:

In utraque parte sententiarum vis et ordo plane sibi respondet. primum et in priore parte et in additamento eiusmodi argumenta proferuntur, quibus altercatio ipsa ad finem perduci non possit: homo monumenti sculptura nisus homines leonibus superiores esse dicit[2]). leo autem vinctos, qui in amphitheatro leonibus ad lacerandum proiciuntur, ostendit, ut inde — incredibile est dictu — demonstretur leones facile homines vincere. hominis ergo argumentandi ratio ratione non caret, leonis autem plane vana nec non stultissima est. deinde alter alterius argumentum eadem fere ratione refellit: 1. εἰ δὲ καὶ λέων ἐζωγράφει, ἑωράκεις ἂν πῶς λέων ἔπνιγεν ἄνθρωπον *si autem (quodsi) leo pingeret, vidisses, quomodo leo suffocaret hominem.* — 2. ἐνενικήκεις ἄν, εἰ μὴ δεδεσμένον μοι τὸν ἄνθρωπον ἐδείκνυες (ἄνθρ ἔδειξας) *viceras si non alligatum mihi hominem ostenderes (vicisses ostendisses).*

Nonne ergo verisimile est Ps-Dosithei unam fabellam e duabus[3]) conglutinatam esse. postea, quod quasi lacuna in media fabella inesse videbatur, haec verba: ἀλλὰ καὶ ἐγὼ, ἔφη (φησίν), δώσω σοι ἀληθινὴν μαρτυρίαν (ἀληθὲς μαρτύριον) *sed (et* addidit Frg P) *dabo tibi verum testimonium* inserta sunt.

Qua ratione iam hoc additamentum in Romulo tractatum est? Romuli prima pars proxime ad magistrum accedit. altera autem, quod quidem ad fabellae sensum adtinet, valde a Ps Dositheo abhorret. quamquam etiam in Romulo inter primam partem et additamentum eadem sententia isdem cum verbis atque in Ps-Dositheo interposita est, tamen hic auctor illud *verum* non solum ut e natura captum sicut Ps-Dositheus, sed etiam ut veritati respondens interpretatus est. homo enim in Romuli formis vinculis solutus[4]) non astrictus ut apud Ps-Dositheum a leone suffocatur. est ergo Romuli fabula

---

1) Hoc cum ob id constat, quod additamentum illud apud Graecos et eos Romanos, qui plane ad illos redeunt sicut apud Avianum frustra requiras, tum, quod amphitheatralium spectaculorum usus primitus a Romanis profectus est, quae observatio iam a Crusio facta est (de Babr aet pag 188).

2) Hunc non quemlibet venatorem, sed Herculem esse Crusius recte coniecit (pag 187); cf picturam Ademaro additam (Th pag 58 et in tab XVI).

3) Secundaria recensio eiusmodi fuisse mihi videtur: *homo et leo, cum inter se certarent, uter superior esset, amphitheatrum forte praeteribant. tum leo: „vide", inquit, „hominem istum a leone suffocatum. nonne hoc testimonio demonstratur homines a nobis superari?" cui respondit homo: „nihil contradicerem, si iste non vinctus esset."*

4) Quod iterum confirmatur Ademari pictura (Th tab XVI).

Digitized by Google

Ps Dositheanae multo praeferenda. nam hac quidem ratione fabella non iam in duas partes prorsus sibi contrarias distrahitur. primum enim leo hominis argumentum verbis refutat, deinde autem quasi positiva ratione vero amphitheatri testimonio demonstrat homines a leonibus superari.

Quamquam haec non prorsus reicienda sunt, tamen inde, quod Romuleae fabellae auctor omnino hanc alteram partem recepit, apparet ne eum quidem fabellae proprium sensum perspexisse. vult enim fabella nos non docere, utrum artis an naturae testimonia plus ad rem demonstrandam valeant, sed hominis et leonis exemplo illustrat, quomodo iudicia, quae in nulla alia re nisi in animo ambitioso nitantur, optime refellantur (cf Aphthonii affabulationem: ὁ τοῖς ἴσοις δικαίως χρώμενος οὐκ ἀπορήσει τῆς νίκης).

Iam supra commemoravimus Rothium etiam hanc fabellam in serie earum habuisse, quae a Romulo e Ps-Dositheo verbotenus desumptae essent[1]). hoc enim inde elucere, quod ille Ps-Dosithei introductionem, quam duritie quadam non carere iam supra vidimus, nec non exitum manifesto haud sine aliquo corrigendi consilio omisisset. sane, hoc aliquid est —, sed novum argumentum addere mihi liceat. Ps-Dositheus si Romuli similem variationem ante oculos habuisset, vix intellegere posses, qua ratione ille e Romuli narratiuncula haud illepide composita suam fabellam e duabus variationibus male conglutinatam fecisset. at contra Ps-Dosithei fabella facillime corrigi poterat. nam cum illud *verum* non ut e natura rerum petitum, sed ut veritati respondens interpretatus sis, ex his duabus partibus alias sibi plane repugnantibus statim unam fabellam facias, ut iam supra demonstravimus.

Quod denique ad Ps-Dosithei prioris partis originem attinet, vix unquam quicquam certi erui posse puto. neque enim aut argumento a ceteris formis adeo differt aut cum ulla — Romulo excepto — sermone adeo congruit, ut discernas, quibuscum artius cohaereat. fortasse propius ad Avianum accedit, cuius tamen necessitatis non nisi haec testimonia exstant:

Ps-Dos	Av
ostendebat ergo ei homo testimonium in pictura (deest in Frg P)	v 7: *scilicet affirmans pictura teste superbum | se fieri*
si autem leo pingeret (*quodsi*): cf Rom Adem	v 13: *o si nostra novum caperet sollertia sensum*

Restat, ut Fragmenti Parisini affabulationem paucis attingam: *saepe ergo artis ratio currit in eos, alii autem corrigunt longius libros intuentes naturae ingenium* πολλάκις οὖν τέχνης λόγος τρέχει εἰς αὐτούς, ἄλλοι δὲ διορθοῦσιν μακρότορον βιβλίους ἐνορῶντες φύσεως εὐφυΐαν.

Quod Boucherius non huius narratiunculae epimythium, sed de formica et cicada apologi, qui in Parisino codice sequatur, promythium esse voluit[2]).

1) Cf pag 20.
2) Bouch pagg 521/22.

Digitized by Google

nos hoc praecepto moneri, ne apologum de formica et cicada verbotenus interpretati e formicae avaritia nobis exemplum sumamus. praeterquam quod *saepe ergo* πολλάκις οὖν numquam ad ea, quae sequuntur, spectare potest, eiusmodi sententia prorsus illius fabellae sensui repugnat. est ergo Boucherii sententia non solum longe petita, sed etiam plane vana.

Mihi quidem haec affabulatio hunc in modum interpretanda esse videtur. illud *artis ratio* et ad hominis et ad leonis rationem argumentandi spectat, quae illis ipsis detrimento fuit, ut hac fabella demonstratur. iis autem, quae sequuntur, admonemur, ne propterea, quod homo et leo arte sua nihil effecerint, animum nostrum omnino artibus alere desinamus; nam persaepe libros legentes proficiemus. ceterum artis grammaticae legibus non repugnat, cum illud *intuentes* non ad *libros*, sed ad *naturae ingenium*, illud autem *corrigunt* ad *libros*, non ad *naturae ingenium* referas. si ita sententiam intellegeres, *naturae ingenium* non nostrum, sed naturae rerum ingenium significaret. praeterea autem illud *artis ratio* non ut argumentandi ratio, sed ut illi naturae rerum ingenio oppositum, id est ut ab homine factum interpretandum esset. tamen talis sensus melius ad Romulum quam ad Ps-Dositheum quadrat, quia in solo Ps-Dositheo argumento illo e natura capto nihil efficitur. praefero ergo priorem affabulationis interpretationem.

Ps-Dos 6(11)

(Böck 6; Bouch pagg 515/6; Götz H L pag 42, Frg P pag 99)

Eidem seriei denique adscribenda est fabella de leone sene et vulpe calliditate sua mortem ecfugiente:

Babr 103 — Tetr II 2; Aphth 8 = Kor 137 b; Rom (Adem 59, Burn IV 12, Flor III 32, Vindob 52) = Ps-Dos (~ Tabb Assend V ro et V vo) [1]); Syntip 37 = Kor 137 c; Anonym = Kor 137 a = pag 336 [2]).

Primo obtutu hic Ps-Dositheum Babrii paraphrastam esse iudices. nec enim fabellae ipsae aut argumento aut sermone multum discrepant, epimythia autem — res nobis est sola cum Babrii affabulatione altera — plane congruunt. attamen alius fons statuendus esse videtur. nam primum quidem, quod ad argumentum attinet, omnino omnes, quae nobis traditae sunt, recensiones artissime cohaerent. hic ergo consensus e primaria quoque forma originem ducere potest.

Sed inspiciamus sermonis similitudines:

Ps-Dos	Babr
νοσεῖν ἑαυτὸν προσεποιεῖτο	vv 4, 5: κάμνων ἐβέβλητ' ... φωνὴν βαρεῖαν προσποιητὰ λεπτύνων

1) Ps-Dositheum multis locis mirum in modum cum Tabular Assend fabella congruere iam Hesselingius monuit; cf etiam Crusium in Philologi vol 53 pag 248.

2) Attigerunt fabellam Plato (Alcibiades 123 A) et Themistius (Ἐρωτικός 174 c).

Digitized by Google

ἐπισκε⟨ψ⟩όμενα εἰσήρχοντο (εἰσῄει) εὐθέως *continuo* ἐστάθη	v 8: ἐπισκοπήσων . . . ἕκαστος εἰσῄει v 9: ἐφεξῆς v 12: σταθεῖσα
ἐπερωτηθείς (— εἶσα), τί οὐκ εἰσήρχετο	vv 12, 14: ἐπηρώτα . . . τί δ'οὐκ προσέρχῃ
ὁρῶ εἰσερχομένων ἴχνη, ἐξερχομένων δὲ οὔ	vv 18 sq: πολλῶν γὰρ ἴχνη θηρίων με κωλύει | ὧν ἐξιόντων οὐκ ἔχεις ὅ μοι δείξεις

In his autem frustra quaeras verba et sententias, quae iure Babrii propria vocari possint. potest ergo etiam haec congruentia ad Aesopeam traditionem vulgarem redire. neque tamen in coniecturis acquiescere debemus. sed etiam certa huius fontis vestigia apud magistrum inveniuntur. ea enim, quae Ps-Dositheus vulpem leoni quaerenti, cur non in speluncam intret, respondentem facit, cum ceteris, quae nobis traditae sunt, variationibus conferentem non effugit illum his quidem multo propius ad Syntipam, Koraisii formas 137[a] et pag 336 — testantur hi eo ipso, quod hac ex parte consentiunt, de Aesopea sua stirpe communi — quam ad Babrium accedere: Syntip: ἡ δὲ ἀλώπηξ ἀντέφησεν, ὡς πολλῶν ἴχνη ἐνταῦθα ἑώρακα εἰσελθόντων μὲν, μὴ ἐξελθόντων δέ. — Kor 137[a]: ἡ ἀλώπηξ ἔφη· ὅτι ὁρῶ ἴχνη πολλῶν εἰσιόντων, ὀλίγων δὲ ἐξιόντων. — Kor pag 336: ἀλλ' ἔγωγε εἰσῆλθον ἄν, εἰ μὴ ἑώρων πολλῶν εἰσιόντων ἴχνη, ἐξιόντος δὲ οὐδενός (cf Themist Erot 174[c]) [1]). est ergo extra dubitationem Ps-Dositheum hic non Babrium, sed Aesopum vulgarem secutum esse. nihilo setius autem eum ceteris locis non multum a Babrio distare optime inde explanatur, quod in hac quidem fabella componenda poeta et ipse minime ab Aesopea traditione discessit.

Huic non repugnat affabulationum congruentia. Babrii enim epimythium alterum spurium esse procul habeo dubitatione [2]). genuino ergo e Babrio a magistro depromptum esse non potest. tamen Ps-Dosithei temporibus poetae fortasse iam erat interpolatum. — sed et alia potest statui ratio. haud enim parvum Babrianorum epimythiorum numerum, etiamsi ei ipsi non sit attribuendus, nihilo minus satis esse antiquum ex eorum apparet cum Phaedriaois consensu [3]). erant ergo iam pervulgatae per Aesopeam traditionem. in eandem nunc et Ps-Dositheus et is, qui Babrio interpolavit epimythium alterum, librarius redire possunt.

---

1) Cf etiam Plat Alc 123 A: πολλὰς γὰρ ἤδη γενεὰς εἰσέρχεται μὲν αὐτόσε ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων, πολλάκις δὲ καὶ ἐκ τῶν βαρβάρων, ἐξέρχεται δὲ οὐδαμόσε ἀλλ' ἀτεχνῶς κατὰ τὸν Αἰσώπου μῦθον, ὃν ἡ ἀλώπηξ πρὸς τὸν λέοντα εἶπεν, καὶ τοῦ εἰς Λακεδαίμονα νομίσματος εἰσιόντος μὲν τὰ ἴχνη τὰ ἐκεῖσε τετραμμένα δῆλα, ἐξιόντος δὲ οὐδαμῇ ἄν τις ἴδοι.

2) Idem et Hohmannio (cf pag 19 adn 3) placuisse videtur, cum pagg 80 sqq hanc affabulationem omnino non dignetur disquisitione.

3) Cf exempl gr: Phaedr I 5 (promyth) — Babr 67; Phaedr I 13 — Babr 77; Phaedr I 24 — Babr 28 etc (cf Thieleium in Hermae volumine XLI pagg 568 sqq).

Digitized by Google

Etiam hanc Romuli fabellam cum magistro verbotenus consentientem Rothius[1]) satis temere earum numero attribuit, quae a Romulo in deterius versae essent. quod quidem in Ademari affabulatione, ubi pro *pericula privata* substitutum est, accidisse concedo. tamen cur hic vir doctus illud Ps-Dositheanum *leo fame deficiens*, ubi de veris famis causis celemur, Romuli loco *leo in annis deficiens* Ad[2]) [*l iam def* Burn, *l def* Flor], quod cum optimarum recensionum Graecarum exordio fere congruit[3]), praeferendum esse iudicet non intellego. est ergo Rothii sententia in eo corrigendum, quod Romulus non semper a magistro superatur.

Pars altera

De Ps-Dosithei fabellis, quas Babrianis copiis adiudicare non necesse est: 5, 7, (4, 13)[4]).

Ps-Dos 7(12)

(Böck 7; Bouch pagg 516/7; Götz H L pagg 42/3, Frg P pag 99)

De homine infirmo et medico indocto:

Babr 75, unde dependent: Kor 192 et Myth 6 (pag 216 Crus); (cf Auson epigr 4(75) Peip).

Etiam hanc fabellam Crusius ex sua opinione, qua totum Ps-Dositheum e Babrio haustum praesumit, profectus illius paraphrasibus inserit, cum dicit, eius argumentum omnino non inveniri nisi apud eos, qui e Babrio pendeant; sicut etiam Ausonii epigramma 4(75) ad Babrium redire[5]) Ausonium quidem epigramma suum ad Babriani apologi exemplar finxisse et mihi procul dubio videtur esse. nam praeterquam quod Ausonius se Titianum, Babrii paraphrastam, novisse ipse dicit[6]), iam sola per se et argumenti et verborum congruentia[7]) de necessitate inter utrumque intercedente satis testatur. neque tamen hoc valet quicquam ad magistelli Babrianam stirpem demonstrandam. eiusmodi historiolae certe per totam antiquitatem permultae erant pervulgatae[8]).

Exhibet autem magister varietatem narrationis satis sane memorabilem. attendas enim: Χάρων (=Orcus) inducitur — significat enim apud Ps-Dositheum non iam portitorem illum, sed, ut omnino in exeunte antiquitate, Mortem

---

1) Pag 450[18].

2) Cf Phaedr I 21 v 3: *defectus annis et desertus viribus.*

3) Ut Thieleius iam monuit in Ademaro suo pagg 18 sq. cf Babr vv 1 sq; Kor 137[a] = pag 336 = Syntip: λέων γηράσας; Tab Assend: λέων γήρᾳ συσχεθείς

4) (4, 13) solas apud magistrum traditas in quaestionem vocare destiti (cf Crus pag 206).

5) Crus in Babrio suo pagg 7 et 66.

6) Auson in epist ad Probum in principio et vv 74 sqq.

7) Cf praecipue Babr v 10 cum Auson v 4.

8) Cf Auson epigr 80 (73) Peip et Nicarch epigr Anthol Pal XI 114.

Digitized by Google

ipsam[1]). hic medicis irascitur non ob id, quia eorum arte multi a morte serventur ut in Babrio, sed — quia neglegentia eorum multi moriantur. non ergo, quod valde mirandum est, Ps-Dositheanus Orcus hominum vitam avide appetit, ut solet, sed misericos est. primo obtutu fortasse hic aliquid plane novum de eius moribus a magistro afferri conicias[2]). hanc tamen non nisi corruptelam esse puerilem fabellae exitus et ipse testatur. quonam modo magistri medicus a ceteris differt, si etiam horum inscitia multi de vita decedunt? quo iure deinceps aegrotus apud Orcum dicere potest hunc revera medicum non esse, quoniam omnes plane inertes iudicantur? magister ergo omnino non intellexit fabellae summam, quae ipsa differentia, quae inter hunc malum et inter ceteros medicos artifices intercedit, continetur. res ergo ita se habet: integram fabellae variationem servavit Babrius, vitiosam autem Ps-Dositheus. neque tamen mea quidem sententia ob id habemus, quod eum Babrianis copiis inseramus, praesertim cum frustra requiras verborum similitudines scilicet iis exceptis, quae manifesto e fabellae argumento ipso originem ducunt.

Ps-Dos 5(9)

(Böck 5; Bouch pagg 513 sq; Götz H L pag 42, Frg P pag 98)

De catto aves ad cenam vocante:

Rom (Burn IV 11, Flor III 31, Vindob 79) = Ps-Dos.

Hic apologus plurimum facit ad Ps-Dosithei et Romuli necessitatem demonstrandam. substituit enim Romulus — sola haec inter ambos differentia intercedit — pro magistri catto corvi personam. qua in variatione primo obtutu vix offendas. nam corvus quoque inter rapaces feras habendus est, cum eum nec quadrupedibus usque ad leporum nec volucribus usque ad tetraonem parcere satis notum sit[3]). attamen mihi cattus praeferendus esse videtur. apologi enim argumento ipso postulatur, ut ea fera, quae gallinas ad cenam vocat, non nisi subdola ratione iis potiri possit. quod magis catto quam corvo convenire apparet. nam cattus ut quadrupes aves quamvis male volantes per insidias venari debet. corvo autem illae volitando effugere non possunt. hic quidem ergo magistrum deprehendimus recensionem Romulo et meliorem et vetustiorem servantem. contraria autem ratio statuenda erat in apologo de vulpe et leone. quid autem his evidentius nec non gravius de communi eorum fonte testari potest?

---

1) Quod iam monuit Waser, Charon, Charun, Charos (Berol 1898) pagg 91 sq; cf etiam Roscherum in lexico mythol s v Charon.

2) Monuit me Maassius Ps-Dositheum hic fortasse e sententia apud antiquos late pervulgata profectum esse, quod ii, qui ἄωροι i e ante legitimam aetatem mortui essent, Orco displicerent. (cf Maassium in Orpheo pagg 264, 266, 310 sqq).

3) Brehmii „Tierleben“ II (ed min) pagg 194 sq.

Digitized by Google

Hic autem id quaeri possit, num Ps-Dosithei ambitu originaria fabella ipsa contineatur. quod mihi negandum esse videtur. nam etiamsi vox αἰλούρου et cattum significare potest, quia Graeci exiguas feras rapaces omnino non certis nominibus distinguebant, sed hoc vocabulum promiscue et ad felem et ad mustelam referebant[1]), tamen magistri versio hic quidem minus placet. αἴλουρος enim ille in apologo multas deinceps gallinas interficit. quod non tam in catti quam in mustelae naturam quadrat. hanc enim bestiolam una nocte gallinarii quamvis magni aves interficere, quarum sanguine se saturet, notum est. satis ergo ex his apparet primariam fabellam apud Graecos non de catto, sed de mustela aves ad cenam vocante fuisse.

Pars tertia

I

De Ps-Dosithei fabellis, quae in Babrii paraphrasibus habendae videantur: 8, 10, 12.

Ps-Dos 8(10)

(Böck 8; Bouch pagg 514/15; Götz H L pag 43, Frg P pagg 98 sq)

Levissima in hac serie est mirabilis de cornice sitiente historiola:

Av XXVII; Rom (Burn IV 13, Flor III 33, Vindob 73) = Ps-Dos

Quae quidem in Babrio ipso, qualem nos tenemus, desideratur. quamquam tractata est ab Aviano, paraphrasta eius latino. quo praecipue adhibito Crusius etiam magistellum ad Babrium redire coniectavit[2]). concedo Ps-Dositheum argumento plane, quodammodo autem etiam sermone ad Avianum accedere:

Ps-Dos	Av
cornix sitiens	v 1: *sitiens cornix*
sed remedio obtinuit (cf Rom)	v 5, 6: *postquam nulla viam virtus dedit, admovet omnes* | ... *nova calliditate dolos.*
epim: *sic ergo sapientia virtutem fallit* (cf Rom Vindob prom)	v 9: *viribus haec docuit quam sit prudentia maior* (cf v 5 *virtus*)

Tamen id monendum est, quod hoc vel simile argumentum, quod revera non tam Aesopi logis quam mirabilium historiolarum generi[3]) attribuendum est,

---

1) Cf Kellerum in Annalium Philologorum Suppl IV pag 339, Hehnium pag 458, Christofferssonium pagg 55/56.

2) Crus in Babrio suo pag 181.

3) Cf Phaedr App 20, quae historiola est de ursi in cancris capiendis sollertia et App 28 de fibro testes suos venatoribus ultro tradente.

Digitized by Google

certe per totam antiquitatem divulgatum fuit, ut Plin nat hist X 43 (60), Plut de soll an pag 967 a, Ael an hist II 48, Bianor (Anth pal IX 272) satis testantur[1]).

Quod vero ad Romuli et Ps-Dositheі necessitatem attinet, hic quidem illum, non magistellum iterum[2]) servavisse recensionem meliorem Rothium effugisse videtur. omisit enim Ps-Dositheus urnam non nisi ad dimidiam partem aqua refertam fuisse, quod est, ut ita dicam, totius historiolae fundamentum. neque tamen ob id, quod Rothius huius Romuli seriei de stirpe eruit, plane vanum est. nam etiamsi hic quidem et in fabella de leone et vulpe, ut supra monuimus, Romulus magistello praeferendus est, tamen restat gravissimum illud argumentum, quod Rothius hausit ex ipso Romulearum fabellarum ordine.

Ps-Dos 12 (6)

(Böck 12; Bouch pagg 509–11; Götz H L pagg 44 sq, Frg P pag 97)

Item fortasse Babrianis copiis attribuenda est de mure et rana fabella. hoc quidem gravioribus argumentis confirmari non potest, quia nobis non res est cum Babrio ipso, sed cum sola poetae Bodleiana Paraphrasi 191. exstant praeterea hae recensiones:

Phaedr = Adem 4[3]); Rom (Burn I 3, Flor I 3, Vindob 3, Wissemb I 3), qui e Phaedro alia, alia ex alio fonte hausit[4]); Aes vita (Eberh) pag 300.

Ps-Dositheum minus ad latinas variationes quam ad graecas et in his imprimis ad Babrianam paraphrasin spectare iam primo concedas obtutu. apparet enim satis e exordii verbis: βάτραχος μῦν ἔπεισεν κολυμβᾶν muris et ranae commercium non tam inde, quod ille huius auxilio flumen transire velit, ut apud Phaedrum et Romulum, quam a mira societate, quam utraque bestiola in graecis formis iam inierit, proficisci. solis autem Ps-Dositheo et Babrio id commune est, quod apud utrumque rana magno cum gaudio deorsum se mersisse expressis verbis narratur: Ps-Dos: (rana) καθὼς ἔνυδρον ζῷον μετὰ χαρᾶς κατέδυνεν — Bodl Paraph: αὐτὸς βρυάζων [τῷ] ὕδατι καὶ ⟨αὖθις ἐκκύψας⟩ τὸ βρεκεκεκὲξ κοὰξ ⟨κοὰξ⟩ ἀνακράζων. iterum non nisi in his mus aqua inflatus est — etsi diversis argumenti locis: Ps-Dos: μετὰ δὲ τρεῖς ἡμέρας ἀσκὸς ὁ μῦς φυσωθεὶς ἐκολύμβα — Bodl Paraphr: μῦς ὕδατι φυσηθεὶς ἐτεθνήκει. huc denique accedit, quod exitu verbotenus fere congruunt: Ps Dos: καὶ τῷ αὐτῷ λίνῳ ὁ βάτραχος ἠκολούθησεν — Bodl Paraphr: βάτραχος δὲ δεσμώτης ἐπήκολούθει.

---

1) De re ipsa v ap Prantlium, Einige Reste des Tierepos etc in Philologi vol VII pag 70.

2) Cf supra pag 25.

3) Ap Thieleium pag 12.

4) Discrepat Romulus a Phaedro nec non a ceteris recensionibus praecipue eo, quod milvus ranam non mure iam mortuo, sed haud illepide in ipso muris interficiendi conatu rapit.

Digitized by Google

hic quidem ergo magistrum, si non artissima, at certe quadam cognatione cum Babrio coniunctum esse negari non potest.

Sed de mure et rana apologus et ipse perdignus est, in quem accuratius inquiramus. spectat enim adeo ad Batrachomachiae exordium, ut Crusius, qui primus e viris doctis ad hanc necessitatem animadvertit, fabellam e huius parodiae Homericae vv 9—100 ortam esse contenderit (in app crit ad Babr Bodl Paraphr 191). in contrariam autem sententiam discessit Haeberlinus[1]) Pigretis carmen vice versa e fabella profectum esse ratus, quia illa certe et antiqua esset et e populi ore originem traxisset. communem denique fontem Ludwichius statuit in Batrachomachiae editione pagg 11 sqq. profert ergo alius alia.. nimirum, quonium nemo adhuc gravioribus argumentis confirmare conatus est, utrum revera hic apologus e populari traditione profectus sit, ut Haeberlinus satis temere iudicavit, an, quod Crusio magis placuisse videtur, si non oratorius, at certe non vulgaris sit. nam si fabellam argumento iis, quas populus sequatur, rationibus repugnare apparebit aut vero suspicio erit eam in rhetorum officina ortam esse Crusio, non Haeberlino accedendum erit.

Fabellae auctor murem male natantem inducit. neque enim alias intellegitur, cur mus ranam pedem suum lino sibi alligare patiatur (cf Aes vit: ἀλλ' ἵνα μὴ ἀποκάμῃς, φησί, νηχόμενος, μηρίνθῳ λεπτῇ τὸν σὸν πόδα τῷ ἐμαυτοῦ προσαρτήσω). hoc naturae rerum valde repugnat. optime enim mus natare scit[2]). cum autem vix credibile sit quemquam inscientia in huius vulgarissimae bestiolae proprietates pecasse, verisimilius est apologi auctorem naturae leges consulto neglexisse et id, quod solum relinquitur, ad eum finem, ut moralis illa sententia *qui fodit foveam, in ipsam incidet*[3]) demonstrari possit. quid enim? quonam alio instrumento nisi hoc lino rana melius peccare aut postea haud illepide in ultionem vocari poterat? deprehendimus ergo auctorem in fabella componenda magis secutum rhetorum praecepta quam popularem morem[4]). an forsitan quispiam talem fabellam populi ori attribuerit, quae manifesto ad eum solum finem ficta sit, ut sententia quaedam moralis exemplo seu naturae conveniente seu minime illustraretur?

Ps-Dos 10(4)

(Böck 10; Bouch pagg 508/9; Götz H L pag 44, Frg P pag 97)

Item haud sine veri specie in Babriana serie habenda est de puero et scorpione narratiuncula:

Babr Bodl Paraphr 168, unde dependere mihi videntur: Anonym = Kor 263^{b}, pag 393^{a}, 263^{a}), Ign Diac Tetr I 18, Anonym = Kor pag 392; Rom (Burn IV 14, Flor III 34, Vindob 74) = Ps-Dos.

---

1) Wochenschr für klass Philol 1889 pag 5.

2) Brehmii „Tierl" (ed min) I pag 509.

3) Invenitur in Rom Vind pag 418 (Herv) et apud Hieronym, comment in eccles pag 1094 XXIII (Migne).

4) De populi et rhetorum in fabellis fingendis consuetudinibus longius disputat Hausrathius, Das Problem der Aesop Fab pagg 308 sq (Neue Jahrbb 1895).

Digitized by Google

Etiamsi apud magistrum Bodleianae Paraphrasis sermonis vestigia apparere videntur (cf Crus), tamen pauciora sunt, quam ut ex his Babrium Ps-Dositheï fontem esse certe statui possit: Ps-Dos: παιδίον (παῖς) . . . ἀκρίδας θηρεύων . . . μὴ, ὡς ἐμὲ θηρεύεις σεαυτὸν ἀπολέσῃς — Babr Bodl Paraphr: παῖς ἀκρίδας θηρεύων . . . μὴ κἀμὲ θηρεύων καὶ πάσας, ἃς ἔχεις, ἀπολέσῃς. plus autem argumenta perscrutati proficiemus. nam apparebit ceteras variationes in comparationem vocanti Ps-Dositheum, etiamsi primo obtutu a Babrio imprimis exitu valde distare videtur, — apud Babrium enim scorpio puerum, ut contactu suo desistat, admonet, ne veras, quas iam manibus teneat, locustas perdat, ne se ipsum autem apud Ps-Dositheum — tamen revera intima necessitate cum eo coniunctum esse. hic enim quasi transitus ab hoc ad illum praebetur. sed velim attendas: Bodleianae Paraphrasis exitum propter sermonem correptum in artum quadam obscuritate involutum esse negari non potest. excidit enim haec fere sententia: (ὦ παῖ, μὴ κἀμὲ θηρεύων), *postquam aculeo meo ictus es, dolore vehementer captus me simulque locustas in terram proicies* (=καὶ πάσας, ἃς ἔχεις, ἀπολέσῃς). observamus autem in ceteris formis praecipue id agi, ut haec obscuritas magis magisque et quasi gradatim illustretur: sicut Koraisii 263[b] auctor pro ἀπολέσῃς ἀποβάλῃς substituit idque certe ideo, quo facilius sententiam illam omissam supplere posses. deinde in Ignatii Diaconi Tetrasticho iam puerum miserum scorpionis aculeo vulneratum locustas in primo dolore modo non proicientem videmus: μὴ ψαύσῃς, ἔφη· | ὡς εἶγε μου ψαύσειας, ἐκ κόλπων στενῶν | καὶ τὰς ἀληθεῖς ἐκκενώσεις ἀκρίδας. tum in Koraisio pag 392[b] non solum ea, quae in Babrio exciderant, sed insuper poetae ipsius exitum invenis: ὡς εἰ ὅλως τετόλμηκάς μου καθάψεσθαι, παρεσκεύασα ἄν σε ἀπολῦσαι καὶ ἃς κατέσχες ἀκρίδας. Ps-Dositheus vero solum Bodleianae Paraphrasis supplementum narratiuncula sua recepit: ὅρα, τάλας, μὴ ὡς ἐμὲ θηρεύεις, σεαυτὸν ἀπολέσῃς. negari ergo non potest in hac quidem fabella quandam necessitatem si non inter Ps-Dositheum et Babrium ipsum, at certe eius paraphrastam intercedere.

II

De Ps-Dositheï fabellis, quae certe ad Babrium redeunt: 16, 17.

Sunt hae de culice et tauro:

Babr 84 = Ps-Dos 16 (Böck 16; Götz H L pagg 46 sq, deest in Frg P) ~ Rom (Ad 60, Burn IV 18, Flor III 38, Vindob 76)

et de formica et cicada:

Babr 140 (Crus) = Ps-Dos 17 (Böck 17; Bouch pagg 522 sq; Götz H L pag 47, Frg P pag 101) = Rom (Ad 56, Burn IV 19, Flor III 39)

Hic ergo non fons, sed via, qua illi in Ps-Dositheï collectionem pervenerint, quaeritur. constabat adhuc inter viros doctos latinas versiones, quia hoc iam interpretamentorum natura ipsa postulari videretur, prosa oratione conscriptas esse. nuper autem Heraeo, ut ipse per litteras cum Thieleio communicavit,

Digitized by Google

contigit, ut in Hermeneumatibus Leidensibus [1]) iambicos non solum inveniret senarios, sed etiam hanc utramque fabellam verborum ordine fere servato versibus exprimeret [2]).

Deprehensus ergo est, ut ita dicam, Babrius latinus. nam magistrum ipsum has duas fabellas metro coartavisse vix est credibile.

Sed ad Romulum transeamus; nam ab illo profecti non solum de Ps-Dositheo, sed etiam, quod maioris est momenti, de Babrii aetate aliquid certi eruere possumus. versatur enim Romulus in his fabellis, ut ita dicam, inter magistri Hermeneumata Leidensia et Fragmentum Parisinum, tamen ita, ut paulo propius ad illa quam ad hoc accedat. cum Hermeneumatibus Leidensibus ei id commune est, quod duos hic servavit apologos. nam etiamsi pro Ps-Dositheo de culice et tauro alia apud eum invenitur fabella de pulice et camelo [3]), tamen iam inde, quod omnino hoc loco aliquem exhibet apologum Ps-Dositheo haud dissimilem, se codicem ante oculos habuisse, qui ab Hermeneumatibus Leidensibus haud nimis procul distiterit, testatur.

Ad Fragmentum Parisinum autem Romulus eo accedit, quod apud eum quoque numeri vestigia frustra requiras. est ergo Romulus, ut huius disquisitionis summam repetam, in his quidem fabellis aetate certe Hermeneumatibus Leidensibus posterior, Fragmento Parisino autem prior.

Eandem rationem etiam in ceteris huius seriei fabellis detegimus. sine dubio enim valde memorabile est, quod Romuli ordo fabellarum in hac ultima serie congruit, ut iam supra demonstratum est [4]), cum Leidensis codicis ordine. huc accedunt verborum similitudines solae ad Hermeneumata Leidensia spectantes: sicut Rom IV 11: *aves ad cenam invitavit*; 12: *et salutavit eum*; *qua re non intrasti*; 13: *sed quoniam fortiter stabat* etc; 14: *quendam lapidem*; 15: *partes ei maxime dolerent*; 16: *deridebant ei*; *ab inferioribus*; 17: *homo et leo cum inter se certarent*; *altercationis testimonium*; *pictura quomodo*; *ostendit homo ille testimonium in pictura*; *hic colorum* etc. sed ab altera parte etiam inter Romulum et Fragmentum Parisinum intercedit sermonis quidam consensus: Rom IV 11: *celebrare*; 12: *fingebat*; *per hoc*; *interrogata autem a leone* etc; 13: *ad urnam*; 14: *puer in silva*; *captans stetit super ... lapidem* etc; 17: *cum venissent ad monumentum*; 19: *ex caverna trahens*; *aestate colligens*; *aliquid de cibo ut viveret*; *ridens formica.*

Huic rei non repugnat, quod Romulus nonnullis locis Ps-Dositheum superat, ut iam supra Rothii argumenta examinantes monuimus [5]). correxit ille fortasse alieno fonte adhibito aut ipse Ps-Dositheo vitia aut, quod mihi magis placet, Ps-Dositheo exemplar manibus trivit, quod iam ipsum modo meliores modo peiores quam id, quod nos tenemus, praeberet lectiones.

---

1) Unde iterum apparet Frgm Par aetate posterius esse.
2) Quod inventum brevi eum publici iuris facturum esse audio.
3) Romulum et Ademarum hic Phaedrum esse indicavit Thieleius pag 60.
4) Cf supra pag 20.
5) Cf supra pagg 27 et 30.

Digitized by Google

Rothio ergo contigit, ut Romulum hanc quidem seriem e Ps-Dositheo desumpsisse certo demonstraret. nos autem addimus Romulum inter magistri Hermeneumata Leidensia et Fragmentum Parisinum stare, tamen ita, ut cum illis paulo artius cohaereat. sed attende: invenit ergo Romulus Ps-Dosithei fabellarum collectionem cum ceteris interpretamentis velut cum Hygini genealogia iam coniunctam. sed cum Romulus et ipse inter IV. et VI. saeculum syllogen suam composuerit, Ps-Dosithei autem fabellarum collectio, qualis Hermeneumatibus Leidensibus servata est, certe illo prior sit, temporis spatium, quod inter hanc fabellarum syllogen et inter annum 207, quo Hygini genealogia certe transscripta est, ad minimum reducitur. est ergo verisimillimum etiam fabellarum collectionem ab eodem auctore conflatam [1]) esse.

Hoc autem plurimum ad Babrii valet aetatem definiendam. nam cum magistrum ipsum Babrium latinis senariis inclusisse vix credendum sit, inter Ps-Dositheum et graecum Babrium latinus, ut ita dicam, Babrius interponendus est. huc accedit, quod ille ne latinam quidem Babrii versionem ipsam manibus trivisse videtur, sed ut Tabulis Assend, quae et Babrianas et Ps-Dositheanas et alias aliunde haustas continent fabellas, commendatur [2]), ad interpretamenta multo maioris ambitus redire. hoc si ita est, Babrium non brevi ante annum 207, sed iam nonnullis decenniis ante vixisse statuere debemus.

Quid igitur effecimus? valde a viris doctis in eo erratum est, quod a duobus illis certe Babrianis apologis profecti totam magistri syllogen in poetae habuerunt paraphrasibus. iure illi non nisi quinque e Ps-Dosithei fabellis adiudicandae sunt: 8, 10, 12, 16, 17. dimidia autem Ps-Dosithei pars: 1, 2, 3, 6, 9, 11, 14, 15, 18 certe ad alium fontem redit et in his sunt quinque fabellae: 1, 2, 9, 11, 18 e simili atque Romulus fonte haustae [3]). ea ergo in serie conglutinanda Ps-Dositheum latino, non graeco fonte usum esse mihi constare videtur. ceterae autem fabellae et omnino eius interpretamenta utrum e latino in graecum translata sint an graecus sermo fuerit primarius diiudicare non audeam.

---

1) Idem conclusit Ficus etsi aliunde profectus in commentatione nuper prolata, quae inscribitur Quid de Babrii poetae vita indagari possit quaeritur pag 24.

2) Cf Hausrath, Unters zur Überlfg der Aes Fabb pagg 298/9 et Crusium (in Philol vol 53 (1894) pag 248).

3) Consensum Ps-Dosithei et Romuli mea comparatione evictum egregie confirmari gaudeo Thielei Romuli editione brevi in lucem proditura. cum enim ille duas fere recensiones Romuli indagaverit, quod mihi hanc disputationem absolventi nondum notum fuerat, perfecto meo labore nostra contulimus. iam apparuit Ps-Dosithei contextum accuratissime congruere cum altera, quam ille vocat, recensione, quae nititur praecipue in codicibus V, E.

Digitized by Google

Ps-Dosithei stemma.



Digitized by Google

Epimetrum.

De Babrii naturae studio.

Cohaeret haec de Ps-Dositheo quaestio cum fontium Babrianorum disquisitione, quam cum in hoc inaugurali opusculo totam noluerim suscipere, tamen pauca de naturae studio a Babrio in fabellis componendis adhibito addam. Babrium ipsum, si cum fabularum argumentis, quae ex fontibus, id est ex vulgari Aesopo pedestri [1]), praesto fuerunt, conferas, mirum est, quantum poeta illa rerum naturalium imitatione superet. nam ubicumque traditio vulgaris aut in naturam rerum ipsam aut in ferarum consuetudines peccavit, deprehendimus eum vitia, quae inesse viderentur, corrigentem et id agentem, ut suis mutationibus simplicitatis quendam colorem humili bestiolarum generi haud illepide convenientem inferat. huius proprietatis exempla colligere eo magis necessarium puto, quia timendum est, ne quis, ut fecit Christofferssonius, ab observationibus [2]) levioribus profectus Babrium magis in sophistarum versificantium numero quam in veris poetis habeat.

Babr 108 Gravissimus est Babrii apologus **108** [3]), qui vulgo vocatur de muribus rustico et urbano. praeter Babrianam recensionem ad nos pervenerunt:

Hor Sat II 6, 79 sqq; Phaedr = Adem 13 [4]); Rom I 12; Ps-Dos 18(17); Aphth 26= Kor 301 a [5]).

Qualia Babrius ex ingenio, qualia e fonte suo deprompserit hic quidem certe et distincte diiudicari potest. nec enim desunt argumenta, e quibus poetam in eundem similemve, in quem ceteros, Aesopum vulgarem [6]) redire appareat, et eius apologus plerisque fere locis, quibus Horatius, Phaedrus, Romulus, Ps-Dositheus certa genuinae recensionis vestigia servaverunt, tantopere ab illis abhorret, ut non nisi ipsi attribui possit.

De hoc nunc, qualis fuerit, Aesopeo fonte vulgari, priusquam in Babrium ipsum inquiramus, pauca praefanda sunt. fuit mea quidem sententia primigenius ille de mure rustico et urbano apologus (atque praeter Babrium etiam nunc est) nihil nisi illius loci communis de vitae rusticae commodis nec non urbanae incommodis disputatio in Aesopei logi formam redacta. id propterea mihi persuasi, quia differentia illa inter urbanos et rusticos iure non tam in murium, quam in humano genere statui potest. nec enim revera muris urbani

---

1) In Aesopo pedestri, qualem nos tenemus, permulta illius, in quam Babrius (cf prooem I 15) rediret, syllogae vestigia inesse coniecit Crusius (Pauly-Wissowa s v Babrius pag 2663), demonstravit Christofferssonius in studiis suis de fontibus fabularum Babrianarum, affirmavit denique Hausrathius in locupletissima disputatione totius Aesopi generis historiam continente (ap Pauly-Wiss s v Fabel, cuius disputationis exemplar inspicere mihi licuit).

2) Conferas quaeso praecipue eius caput: „Quomodo praecepta illa rhetorum, quae de fabulis extendendis et contrahendis erant, a Babrio observata sint“ (pagg 112 sqq).

3) Variationum conspectum pag 46.

4) Thieleius pag 13 et pag 45.

5) Non in quaestionem vocanda sunt Kor 301 b et Myth 10 (pag 217 Cr), quibus ut certe e Babrio haustis, quam singularis poetae variatio sit, confirmatur.

6) Cf Christofferssonium pag 57.

Digitized by Google

proprium genus exsistit, sed muri rustico domesticum, qui hominum domos sive in urbibus sive ruri incolat, opponi nemo nisi a natura rerum plane alienus ignorat. induxit ergo historiolae auctor, etiamsi murem rusticum cum domestico id est genus cum genere consociare naturae rerum magis convenit, tamen muris domestici, ut ita dicam, urbanam speciem generis loco, scilicet ad eum solum finem, quo facilius vitae urbanae incommoda Aesopeae fabellae ambitu illustrare posset. nobis ergo, ut disputationis summam paucis repetam, in vulgari apologi recensione res est non cum veris bestiolarum personis, sed manifesto ad diversorum apud homines generum exemplar fictis id est cum fabella docta.

Quod praecipue ex Horatii apologo apparet. hic mures ut in parodia in universum nec victu nec moribus ab urbano homine aut agricola multum abhorrent[1]). velut poeta, ut alia omittam, inter muris rustici *dapis meliora* etiam cicer (v 84) enumerat, quo cibo ipse, si *fumum, opes strepitumque Romae* fugit, valde delectatur (cf Sat I 6, 114 sq). item alludit ad hominum consuetudines, cum musculum in convivio accubantem haud inficete inducit (v 115). denique, quod ad mores attinet, mus rusticus, ut rustici apud homines, parcus et *attentus quaesitis* (v 82), mus autem urbanus certe haud sine cavillandi consilio ne Epicuri quidem praeceptorum ignarus fingitur (v 90—97).

Longe autem aliam rationem in Babrio invenimus. qui fabellam ad naturam reducere studet. hunc ad finem primum quidem pro ficto illo muris urbani genere verum muris domestici substituit: v 1 sq: μυῶν δ μέν τις βίον ἔχων ἀρουραῖον, | ὁ δ' ἐν ταμείοις πλουσίοισι φωλεύων et v 4: ὁ δ' οἰκόσιτος. est ergo eius fabella de mure rustico et domestico, non de rustico et urbano. neque tamen poeta in solis personis mutandis acquievit, sed ut historiola sua simplicitatis quendam colorem humili bestiolarum naturae magis convenientem duceret, totius argumenti scenam rus transtulit. nec enim murem domesticum in urbe, sed sub agricolae divitis tecto viventem facit. quod certe apparet e ciborum generibus pauperi hospiti a domestico mure appositis. quo in numero invenies nihil, nisi quod agri, horti, pecus rusticis ferre solcant sicut ficos, palmulas, mel, polentam, caseum: v 15—20: ἔδειξε δ' αὐτῷ, ποῦ μὲν ἀλφίτων πλήθη, | ποῦ δ' ὀσπρίων ἦν σωρὸς ἢ πίθοι σύκων | στάμνοι τε μέλιτος σώρακοί τε φοινίκων. | ὁ δ' ὡς ἐτέρφθη πᾶσιν καὶ παρωρμήθη | καὶ τυρὸν ἦγεν ἐκ κανίσκου σύρων. indidem etiam mira illa differentia inter muris divitis cotidianam escam apud Babrium et apud ceteros in hisque inprimis apud Ps-Dositheum profecta est. attendas enim: isdem, quibus illic dives mus domesticus, cibis hic pauper silvestris vescitur: Ps-Dos: *praestabat ei vesci quae in rure ⟨erant⟩ ficus et uvas*[2]) *et cetera poma*[3]). neque tamen poeta ideo diversitatem, quae inter utriusque animalis victum, nisi forte totius argumenti vim tollere vis, intercedere debet, minuit. quem ad finem murem rusticum

---

1) Idem etiam Kiesslingius sensisse videtur in versu 90 *urbanus ad hunc* haud inlepide nostro *Städter* vertens.

2) Cf supra pag 15.

3) Cf Horatii v 85: *aridum et ore ferens acinum* (!).

Digitized by Google

extremis in agris inter glebas vivcntem fecit, ubi famem non nisi herbarum radicibus luto inquinatis, quo humilior cibus vix invenitur, expellere potest (v 6 sq: τρώγων δ' ἀραιὰς καὶ διαβρόχους σίτου | ῥίζας μελαίνῃ συμπεφυρμένας βώλῳ). pro hoc ergo se κέρας Ἀμαλθείας[1]) incolere mus domesticus merito dicere potest (cf v 11).

Evidenter ergo haec fabella de eximio poetae ingenio testatur. nam mira quadam arte ex apologo, qui primitus non nisi ad humanae vitae exemplar fictus erat, variationem sibi fecit antiquissimo illi fabellarum generi simillimam, ubi nec veras ferarum personas nec quandam simplicitatem bestiolarum generi optime accommodatam desideras.

Babr 50 Eandem rationem invenimus in Babrii narratiuncula **50**, quae est de lignatore vulpis latibulum venatori digito, non voce prodente[2]). exstat fabella praeterea:

Phaedr App 26; Maxim Tyr Diss III 1 Reiske = Kor 127 c; Rom IV 3; Anonym = Kor 127 = pag 329 = 127 b.

Babr 50

Ἔφευγ' ἀλώπηξ, τῆς δ' ὄπισθε φευγούσης
κυνηγὸς ἐτρόχαζεν. ἣ δ' ἐκεκμήκει,
δρυτόμον δ' ἰδοῦσα „πρὸς θεῶν σε σωτήρων,
κρύψον με ταύταις αἷς ἔκοψας αἰγείροις,
καὶ τῷ κυνηγῷ" φησί „μή με μηνύσῃς."
ὃ δ' οὐ προδώσειν ὤμνυ'· ἣ δ' ἀπεκρύφθη.
ἦλθεν κυνηγὸς, καὶ τὸν ἄνδρ' ἐπηρώτα,
μὴ τῇδ' ἀλώπηξ καταδέδυκεν ἢ φεύγει.
„οὐκ εἶδον" εἶπε, τῷ δὲ δακτύλῳ νεύων
τὸν τόπον ἐδείκνυ' οὗ πανοῦργος ἐκρύφθη.
ὃ δ' οὐκ ἐπισχών, τῷ λόγῳ δὲ πιστεύσας,
παρῆλθε. θερμοῦ δ' ἐκφυγοῦσα κινδύνου
κερδὼ παχείης ἐξέκυπτεν αἰγείρου,
σεσηρὸς αἰκάλλουσα· τῇ δ' ὁ πρεσβύτης
„ζωαγρίους μοι χάριτας" εἶπεν „ὀφλήσεις".
„πῶς οὐκ ἄν" εἶπεν ὧν γε μάρτυς εἱστήκειν;
ἔρρωσο τοίνυν, καὶ τὸν Ὅρκον οὐ φεύξῃ
φωνῇ με σώσας, δακτύλῳ δ' ἀποκτείνας".

Kor 127 b

Ἀλώπηξ κυνηγοὺς φεύγουσα
ὡς ἐθεάσατο δρυτόμον, τοῦτον καθικέτευε κατακρύψαι αὐτήν· ὁ δ' παρήνεσεν αὐτῇ εἰς τὴν ἑαυτοῦ καλύβην εἰσελθεῖν καὶ κρυβῆναι. μετ' οὐ πολὺ δὲ παραγενομένων τῶν κυνηγῶν καὶ τοῦ δρυτόμου πυνθανομένων, εἰ τεθέαται ἀλώπεκα τῇδε παριοῦσαν, ἐκεῖνος τῇ μὲν φωνῇ ἠρνεῖτο ἑωρακέναι, τῇ δὲ χειρὶ νεύων ἐσήμανε ποῦ κατακέκρυπται. τῶν δὲ οὐχ οἷς ἔνευε προσεσχηκότων, ἀλλ' οἷς ἔλεγε πιστευσάντων ὑπεχώρησαν. ἡ ἀλώπηξ ἰδοῦσα ἀπαλλαγέντας ἐξελθοῦσα ἀπροσφωνητὶ ἐπορεύετο· μεμφομένου δ' αὐτὴν δρυτόμου, ὅτι διασωθεῖσα ὑπ' αὐτοῦ οὐδὲ φωνῆς αὐτὸν ἠξίωσεν, ἔφη· ἀλλ' ἐγὼ ηὐχα-

1) Cf Maassium, Die Griechen in Südgallien (Jahresh des Oesterr Inst IX 1906) pag 167.

2) Universalem fabellae historiam praebet Krohnius in Commentationibus universitat Helsingf III, IV (1891): Baer (Wolf) Mann und Fuchs (pagg 11 sqq), cum omnes, quae omnino exsistunt, variationes mira cum diligentia in comparationem vocat.

Digitized by Google

ρίστησα ἄν σοι, εἰ τοῖς λόγοις ὅμοια τὰ ἔργα καὶ τῆς χειρὸς τρόπους εἶχες.“ κτλ.

Qualia et quanta poetae ipsius ingenio addicenda sint, ne hic quidem obscurum est. nam raro — mehercle — fortunae favore illa ipsa narratiuncula vel ad eius exemplar ficta in manibus est, ad quam Babrius redit. dico Koraisii formas pedestres 127[a] (= pag 329) et 127[b] adeo non inter se differentes, ut fere pro una habendae sint. quas quidem, cum argumento plane fere cum poeta congruant, sermonis autem Babriani nullis permixtae sint vestigiis, non tam Babrii paraphrasibus asserendas, quam recta via ex eadem stirpe atque poetae fabulam derivatas esse persuasum habeo[1]). his igitur formis nixi distincte diiudicare possumus, quas rationes Babrius secutus fontem suum variaverit.

Quod ille hic quidem non nisi uno loco fecit neque eo minus suum naturae studium professus. nec enim casa (καλύβῃ) sicut Aesopus, sed populorum nuper caesarum congerie lignatorem vulpem abdentem induxit: v 4: κρύψον με ταύταις, αἷς ἔκοψας αἰγείροις. qua felicissima variatione duplicem correxit auctoris duritiem. nam primum quidem eo, quod vulpeculam potissimum in populorum, non alterius generis arborum strue se abscondentem facit, totum fabellae actum e silva condensa in campos apertos transtulit. vitavit ergo hanc inconcinnitatem: vulpes, cui, dum per silvam fugit, multa patent latibula, nihilo setius naturalis suae calliditatis nec non hominum timiditatis immemor a lignatore auxilium petit. iam apud Babrium in campum egressa nihil aliud conspicit nisi lignarium illum populos ad flumen caedentem. ligni autem struem poeta certe ea causa intulit, quod lignatores in arboribus caedendis prope ad casam suam manere non possunt, sed crebro, ut semper eligant truncos maxime idoneos, longius ab ea abscedere debent.

Fortasse nunc quispiam dixerit populos quidem certe a Babrio ipso fictas esse, ligni autem struem proxime ad Phaedrianum *veprem* vel ad Maximi Tyrii δρυμῶνα βαθύν accedere. quamquam hoc primo obtutu valde arridet, tamen subtilius inquirenti prorsus reiciendum est. immo apparebit Babrii ligni congeriem revera multo magis ad Koraisii 127[a=b] casam, quam ad illorum virgulta spectare. est enim haec summa inter eos differentia, quod apud Babrium lignarius ligni struem sicut casam in Koraisio 127[a=b] ut suam possidet, Phaedri autem et Maximi Tyrii bubulcus non nisi fortuito feram in cuiusvis drumetum irrepentem videt[2]). illic ergo lignarius vulpem apud se sicut hospitem, quem

1) Eodem Christofferssonius etsi aliunde profectus pervenit, cum dicit pag 45: *eam* [Halm 35 (= Kor 127[b])] *paraphrasin esse Babrianae ea causa iure negandum esse censeo, quod vulpem* ἐν τῇ καλύβῃ *latentem a ceteris ... abhorrens facit.*

2) Hic notandum esse puto Christofferssonii errorem gravissimum, qui argumentis plane vanis nisus (cf pag 46) Koraisium 127[b] ad Maximi Tyrii vel huius simillimi exemplar fictum esse voluit. adeo enim hic ab illo et personis et argumento distat, ut ne artioris quidem cognationis vestigia appareant. plurimum autem valet, quod Maximus Tyrius Koraisio 127[b] multo est deterior. non ergo hic ab illo, sed vice

Digitized by Google

prodere summum nefas est, recipit, cum haec necessitas inter Phaedri bubulcum et leporem aut Maximi Tyrii cervum non intercedat. non igitur est, cur hanc varietatem Babrio abiudicemus.

Babr 84 Ceterum haud minus de summo poetae naturae rerum veritatis studio testatur alter, ubi populi inductae sunt, apologus. dico fabellam de culice et tauro 84. nec enim poeta temere hic vel fortuito culicem in populis, non alio arborum genere sicut quercubus, fagis, pinis considere se velle dicentem facit: v 4: καθεδοῦμ' ἀπελθὼν ποταμίης ἐπ' αἰγείρου, sed memor, quod populi in pratis potissimum vel aliis locis humidis, quae etiam culicum nec non boum deliciae sunt, crescere solent.

Babr 79 Memorabilis etiam est Babrii fabella 79 [1]), quae est de cane carnem ferente. tradiderunt eam:

Phaedr I 4 = Adem 7; Theon Prog 3 = Kor 209[c]; Aphth 35 = Kor 209[f]; Rom I 5; Syntip 28 = Kor 209[e]; Anonym = Kor 209[a] = 209[b].

Inducit poeta una cum Theone, Aphthonio, Koraisio canem secundum fluvium euntem (v 2: καὶ δὴ παρῄει ποταμόν), non sicut Phaedrus eum tranatantem. hic quidem ergo Phaedrum, non Babrium, ab Aesopea traditione abhorrentem deprehendimus. sed utut id est, hoc certe negari non potest graeci, non latini poetae locum, ut uni Christofferssonio (pag 34) placuit, praeferendum esse. est ceterum haec tritissima et vetus observatio iam a Lessingio facta [2]). manifestum enim est Phaedri canem nando aquam adeo perturbare debere, ut umbram suam in lympharum speculo videre non possit.

Est autem hoc Babrii proprium. eius canis carne amissa fluvium insuper transit: v 6: πεινῶσα δ' ὀπίσω τὸν πόρον διεξῄει. Christofferssonius quidem Rutherfordium secutus [3]) hunc versum Babriio abiudicavit (cf pag 34). inconcinnum enim esse quod poeta canem et fluvium praetereuntem et transgredientem faceret. sed haec argumentandi ratio mihi ridicula videtur esse. immo postulatur hic versus non solum fabellae argumento ipso, sed ei insuper infert vividiorem quendam colorem. sed attende: canis carnem furatus est (v 1). eum ergo, quo facilius persequentes effugiat, alteram fluminis ripam petere

---

versa ille ab hoc, si intercederet revera inter eos quaedam necessitas, originem ducere posset. sed attende: inducit Koraisius 127[b] tres personas: vulpem, lignarium, venatorem, Maximus Tyrius autem quattuor in hisque tres: leonem, cervum, bubulcum et ipsas prorsus abhorrentes, vulpem autem iis, quas agit, partibus. huc accedit, quod apud eum cervus a bubulco petere omittit, ut se abdat neve latibulum suum leoni prodat. quae quam in peius versa sint apparet. nec enim bubulcus hic aut in hospitii ius aut omnino, cum nihil promiserit, peccat. leo deinde bubulci nutu intellecto cervum rapit, quod haud minus vituperandum est, cum ob id etiam novam vulpis personam in fabellam inducere necessarium sit. est ergo luce clarius Koraisium 127[b], in quo, cur offendas, vix habeas, ad Maximum Tyrium plane inconditum, redire non posse.

1) Vide pagg 10 sq.

2) XI pag 105 Lachm.

3) In Babrii editione (London 1883). recte retinuit versum Crusius.

Digitized by Google

necessarium est. iam si poeta canem confestim in aquam se praecipitantem finxisset, idem quod Phaedrus peccasset. sin autem sola in Aesopea traditione recipienda acquievisset, id in eo vituperandum fuisset, quod canem, etsi ille in fuga est, tamen in hac fluvii ripa manentem induxisset. restabat ergo una haec, quam Babrius ingressus est, via. et amnem praetereuntem canem fecit et transeuntem. ita et Phaedri et Aesopi vulgaris vitavit vitia. quis ergo est, qui hoc in versu offendat? immo desiderari non potest.

Item perspicua est Babrii ars in fabula **43**, quae est de cervo crura sua B
vituperante, cornua laudante. praeter Babrii formam, ut hoc repetamus, nobis traditae sunt:

Phaedr I 12 — Rom III 7; Ps-Dos 1(1); Aphth 18 = Kor 181^{c}; Syntip 15 = Kor pag 365/6; Ign Diac Tetr I 14; Anonym = Kor 181 $^{a}\sim{}^{b}\sim$ pagg 364/5, 181^{d}, pag 365^{c}.

Hic solum apud Babrium cervus λίμνης ὕδωρ inducitur bibens, non e fonte sicut in ceteris. quod a poeta non fortuito, sed certe eo consilio, ut propius ad naturae rerum veritatem accedendo Aesopi vinceret recensionem, substitutum est. perrari enim inveniuntur fontes, in quibus umbram tuam vivaci rapidoque undularum tractu non videas valde perturbatam, cum stagna semper fere intuenti aquarum praebeant speculum tranquillum, nisi forte ventus ortus est. sed ut et haec dubitatio fiat vana quasi iam in limine ipso, poeta ad λίμνης ὕδωρ expresse et addidit ἡσυχαζούσης.

Deinceps inspiciamus Babrii de murium et mustelarum bello histo- Ba
riolam **31**. tractaverunt idem argumentum:

Phaedr IV 6; Ps-Dos 3(4); Syntip 51 = Kor 242^{c}; Anonym = Kor 242^{a} = Kor pagg 382/1 [1]).

Hic Babrium variationem suam non tam e fonte vulgari, quam ex ingenio suo hausisse propterea mihi persuasi, quia prorsus singularis est. nam cum apud ceteros murium duces cornibus inducantur ornati, apud eum sibi alligant λεπτὰ πηλίνων τοίχων | κάρφη (vv 13 sq). quamquam et hoc et alia in eius apologo Batrachomachiam olent [2]), tamen id cavendum est, ne eum ob id magis Pigretis quam sui imitatorem vocemus. intercedit enim haec inter eos differentia. Pigretem deprehendimus τὸ λέπυρον ἐρεβίνθου (v 131) manifesto parodiae causa inducentem, a Babrio autem talequid hic quidem (dico in versu 13 sq) afuisse videtur. nam ille alludit ad galeas, cum Babrianae festucae cum certo hominum instrumento vel ornamento conferri non possint, sed manifesto e vulgaris traditionis cornibus profectae sint. poeta, ut videtur, animo effingere non potuit, qualia fuerint insignia illa e nutricularum fabellis petita aut unde in humilem murium cavum pervenerint. quare substituit festucas suas, quae et forma a cornibus minime distare et murium generi magis convenire viderentur.

---

1) Non in quaestionem vocandae sunt Babrii paraphrases = Kor 242^{b} et pagg 383/4.

2) Quod observavit iam Crusius in apparatu crit ad vv 14, 21, 32; cf etiam Christofferssonium pag 67.

Digitized by Google

Babr 129 Etiamsi in fabella de asino domino blandiente **129** distincte definiri non potest, quae Babrii ipsius ingenio aut fonti eius adiudicanda sint, tamen ceteras formas:

Galen XVIII 281 K, Rom I 16 [1]) = Adem 17 (pag 46 Th), Anonym = Kor 212 [a] conferentem non effugit, quantum Babrius illas superet idque iis ipsis virtutibus, quas poetae proprias esse iam in priore disputationis parte cognovimus. quod quo magis appareat, constituo variationum classes tres.

In prima classe Galeni narratiunculam habeo. cuius auctor omne studium in comicam fabellae scenam contulit. nec enim in eo solum acquievit, ut asinum facultate data sicut Romulus, alterius classis auctor, domino suo blandientem faciat, sed etiam immanem beluam in triclinium ipsum convivis refertum immisit (κατεφίλουν αὐτὸ (catellum) πάντες οἱ σύνδειπνοι ... ὃς (asinus) ... μηδὲν μελλήσας, ἀλλ' εὐθὺς ἀναπηδήσας ἐπὶ τὴν κλίνην ὀγκᾶται), ubi vehementi eius impetu certe hominem et rerum confusio iocosissima fieri debet. hic tamen id minus placet, quod idem fabulam legentibus non satis bene ante oculos posuit, quomodo asinus, quae in triclinio acciderent, conspicere posset (ὃς θεασάμενος), nedum eo invaderet.

Quae difficultas, si est revera, ab alterius classis auctoribus, a Romulo et Aesopo, quadam ratione eo correcta est, quod hic res non inter cenam agitur. quamquam etiam apud Romulum asinus *catellum de mensa saturari* videt idque cotidie, tamen hic non iam in triclinium irrumpit vel potius irrumpere potest, sed domini amplectendi non prius occasionem habet, quam ille ipse in stabulum introierit [2]). minus te hic habere, quod offendas, quam in Galeno negari non potest. attamen convivii illa perturbatio summa hilaritate conspersa necessario excidere debebat. idem in pedestri Aesopo graeco vituperandum est, dico in Koraisio 212[a], qui asinum catellum domino omnino non iam in cena ipsa, sed non nisi illi ex alieno convivio domum redeunti occursitantem summisque in deliciis habitum videntem induxit: καὶ εἴποτε (sc dominus) ἔξω δειπνοίη (e δεῖπνον εἶχεν corr Halmius), ἐκόμιζε τι αὐτῷ (sc catello), καὶ προσιόντι καὶ σαίνοντι παρέβαλεν. sunt ergo alia in alia recensione praeferenda aut reprehendenda.

---

1) Rom I 16: *Asinus, cum quotidie videret catello blandiri domi dominum et de mensa saturari et familiam illi plura largiri, sic dixisse fertur: si animal inmundissimum sic diligit dominus meus ita et familia, quanto magis me, si et obsequium illi fecero? plus enim melior sum cane, qui multis rebus sum utilis. aqua ex sanctis fontibus alor, cibus mihi mundus datur, melior sum catello, meliore vita possum frui et maximum honorem habere. cum haec asinus secum cogitaret* (cf pag 71) *vidit dominum introire. occurrit velocius, clamans prosiluit et supra stetit, levans pedes priores imposuit ambobus humeris domino, lingua eum lingens linit et maculans vestem fatigat dominum pondere suo. clamore autem domini concitatur omnis familia. fustes arripiunt et lapides. asinum faciunt debilem membris costisque fractis. sic abiciunt ad praesaepia lassum atque semivivum.*

2) Asinum in stabulo stare, etiamsi expressis verbis non refertur, tamen inde concludendum est, quod ille in fine fabellae *ad praesaepia abicitur.* cf etiam Luc Mülleri Phaedri fabb nov 3, 10: *intravit stabulum dominus.*

Digitized by Google

Babrius autem, quem in tertia classe habeo, non nisi ceterorum virtutes mira quadam componendi sollertia recepit. nec enim in eius variatione frustra requiras aut summam naturae rerum veritatem aut cenae illam supellectilis ruinam facete depictam. hoc poeta eo perfecit, quod asinum nec non catellum simplicis agricolae gregi attribuit. qui rusticorum more non sub tecto, sed in media villulae aula una cum catello suo epulari solet. ibidem etiam asellus in aliquo angulo stans catelli luxuriem cotidie conspicere potest, ne dicam, debet:

vv 8—13: καὶ μὴν ἐν αὐλῇ παρὰ φάτναισι δεσμώτης
ἔτρωγε κριθὰς χόρτον, ὥσπερ εἰώθει.
δηχθεὶς δὲ θυμῷ καὶ περισσὸν οἰμώξας,
σκύμνον θεωρῶν ἁβρότητι σὺν πάσῃ,
φάτνης ὀνείης δεσμὰ καὶ κάλους ῥήξας
ἐς μέσσον αὐλῆς ἦλθεν κτλ.

Hac una ergo variatione Babrius non solum vitavit Galeni vitium, quod inde profectum est, quod ille asinum, cuius regnum stabulum vel aula esse solet, nihilo setius cum in triclinium introspicere tum irrumpere posse non satis stabilivit, sed etiam ridiculam illam scenam, ubi mensa caeco beluae blandiendi studio eversa cibis humum proiectis vasisque fractis summus tumultus efficitur, servare poterat:

vv 15 sq: τὴν μὲν τράπεζαν ἔθλασ' ἐς μέσον βάλλων
ἅπαντα δ' εὐθὺς ἠλόησε τὰ σκεύη.

Digitized by Google

Variationum conspectus. [1])

De cervo umbram suam in aqua intuente (cf pagg 5—10)

Ps-Dos 1(1)

Ἔλαφος εὐμεγέθης ὥρᾳ θέρους δίψῃ λιπόμενος παραγίνεται ἐπί τινα πηγὴν διαυγῆ καὶ βαθεῖαν. καὶ πιὼν ὅσον ἤθελεν προσεῖχεν τῇ τοῦ σώματος ⟨ἰδέᾳ⟩. καὶ μάλιστα μὲν ἐπῄνει τὴν φύσιν τῶν κεράτων ἀνατεταμένων τε εἰς πολὺν ἀέρα καὶ ὡς κόσμος εἴη παντὶ τῷ σώματι, ἔψεγεν δὲ τὴν τῶν σκελῶν λεπτότητα ὡς οὐχ οἵωντε ὄντων ⟨φ⟩έρ⟨ε⟩ιν τὸ βάρος. ἐν οἷς δὲ πρὸς τούτοις ἦν, ὑλαχή τε κυνῶν αἰφνιδίως ἀκούεται καὶ κυνηγέται πλησίον. ὁ δὲ πρὸς φυγὴν ὥρμα καὶ μέχρις ὅπου διὰ πεδίων ἐποιεῖτο τὸν δρόμον, ἐσῴζετο ὑπὸ τῆς ὠκύτητος τῶν σκελῶν, ἐπεὶ δὲ εἰς πυκνὴν καὶ δασεῖαν ὕλην ἔπεσεν ἐνπλακέντων αὐτῷ τῶν κεράτων ἑάλω πείρᾳ μαθών, ὅτι ἄρα ἄδικος ἦν τῶν ἰδίων κριτὴς ψέγων μὲν τὰ σῴζοντα αὐτόν, ἐπαινῶν δὲ ὑφ' ὧν προδέδοται.

Cervus bonae magnitudinis aestiva tempore siti deficiens advenit ad quendam fontem limpidum et altum. et cum bibisset quantum voluerat, adtendebat a⟨d⟩cor-pori⟨s⟩ e⟨ffigiem⟩ et maxime quid⟨em⟩ laudabat naturam cornuorum excelsissimam in multo aere et quod ornamentum esset omnis corporis, culpabat autem crurum exilitatem, qua⟨e⟩ non ⟨po⟩sse⟨n⟩t ferre pondus. sed cum in his esset, latratus canum subito audiit et veneratores proxim⟨i⟩. at ille in fugam ibat et quamdiu quidem per campos faciebat cursum liberabatur a velocitate crurum, sed ubi in spissam et condensam silvam incidit obligatis ei [implicatus] cornibus captus est modo perdiscens, quod iniustus esset suorum iudex culpans quidem [vituperans], quae salvabant eum, laudans autem, a quibus deceptus esset.

1 *cervus immanis* ⟨Frgm⟩ P⟨ar⟩ cf Crus de Babr aet p 241[1] || θερινοῦ χρόνου Bouch cf Crus l c || 3 καὶ ὡς ἔπιεν P || 4 sq *adtendere coepit corporis figiem* προσέχειν ἤρξατο τοῦ σώματος ιδηαν P *effigiem* εἰδείᾳ corr Bouch || 6 ad *cornuorum* cf Adem p 53 (Thiele) *cornuum naturam* P || 6 sq *extensam in altum* ἀνατεταμένων εἰς ὕψος P || 8 *totius corporis* ὅλου τοῦ σώματος P cf Bouch || 9 *gracilitatem* P || *quas non esset* L *tamquam non possint* P manifesto in L graecis falso accommodata || φέρειν P αἴρειν Böck || 10 ἐν ᾧ P || 12 *proximo* L *proximi* P || 19 *quae custodiebant eum* τὰ φυλάσσοντα αὐτόν P.

Phaedr I 12

Laudatis utiliora, quae contempseris,
Saepe inveniri testis haec narratiost.
Ad fontem cervus, cum bibisset, restitit
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus
Per campum fugere coepit et cursu levi
Canes elusit. silva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus
Lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tunc moriens hanc dedisse vocem dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intellego
Utilia mihi quam fuerint, quae despexeram
Et, quae laudaram, quantum luctus
[habuerint.

Rom Burn III 7

Cervus bibens de fonte sua cornua magna ut vidit, nimium laudare coepit, crura vero tenuia vituperavit. cum haec cervus ad fontem faceret, venatoris vocem audivit et canes repente latrare. fuga cervus per campum dicitur evasisse molos⟨sos⟩. at ubi silva eum suscepit, magnitudo cornuorum venantibus eum retinuit. tunc mortem suam videns ait: quae mihi erant utilia, vituperavi et deceptiosa laudavi. sic et nos laudamus saepe inutilia et vituperamus bona.

1) Apparatus criticus Ps-Dosithei textui subiectus tantum discrepantias graviores et ad hanc disputationem necessarias continet.

Digitized by Google

Babr 43

Ἔλαφος (θέρει ποτ') εὔκερως ἀχαΐνης
ποίης κορεσθείς, ἡ(ν νάπαισι γ)ἢ φύει,
λίμνης ὕδωρ ἔπινεν ἡσυχαζούσης.
ἐκεῖ δ' ἑαυταῦ τὴν σκιὴν θεωρήσας
χηλῆς μὲν ἕνεκα καὶ ποδῶν ἐλυπήθη,
ἐπὶ τοῖς δὲ κέρασιν ὡς καλοῖς ἄγαν ηὔχει.
παρῆν δὲ Νέμεσις, ἣ τὰ γαῦρα πημαίνει.
κυνηγέτας γὰρ ἄνδρας εἶδεν ἐξαίφνης
ὁμοῦ σαγήναις καὶ σκύλαξιν εὐρίνοις,
ἰδὼν δ' ἔφευγε, δίψαν οὐδέπω παύσας,
καὶ μακρὸν ἐπέρα πεδίον ἴχνεσιν κούφοις.
ἐπεὶ δὲ δὴ σύνδενδρον ἦλθεν εἰς ὕλην,
κέρατα θάμνοις ἐμπλακεὶς ἐθηρεύθη,
καὶ ταῦτ' ἔφη· „δύστηνος ὡς διεψεύσθην·
οἱ γὰρ πόδες μ' ἔσῳζον, οἷς ἐπῃδούμην,
τὰ κέρατα δὲ προὔδωκεν, οἷς ἐγαυρούμην."

De cane carnem ferente (cf pagg 10—12, 40 sq)

Ps-Dos 11(5)

Κρέας κύων ἁρπάσας
ποταμὸν διέβαινεν.
καὶ θεασάμενος τοῦ κρέως
τὴν σκιὰν ὑπώπτευσεν
μείζονα εἶναι ⟨οὗ⟩
ἔφερεν. καὶ ὡς αἱρεῖ,
ἀπέβαλεν, ⟨ὃ⟩ ἐκράτει.
οὕτω πολλοὶ ἄνθρωποι τὰ
ἄδηλα ὡς θηρεύσουσιν,
ἀποβάλλουσιν τὰ ἴδια.

Carne canis rapta
flumen transiebat.
et [ut] videns [vidit] carnis
umbram, suspicatus est
maiorem esse quam
ferebat. et dum tollit,
amisit, quam ⟨habebat⟩.
sic multi homines incerta
dum captant, amittunt
sua.

3 sq *umbraque visa carnis* ἰδὼν τὴν σκιὰν τοῦ κρεῶς P ‖ 4—7 *aestimans veram esse voluit rapere et contigit ei quam habebat amittere* νομίσας ἀληθῆ εἶναι ἠθέλησεν ἁρπάξαι καὶ συνέβη αὐτῷ ἣν εἶχεν ἀποβαλεῖν P ‖ 5, 7 ἧς pro οὗ et ἣν pro ὃ L vitium e latina versione ortum ‖ 9 sq *amittunt propria* P.

Rom Burn I 5

Amittit proprium quisquis avidus alienum appetit. de talibus sic narrat. canis flumen transiens partem carnis ore tenebat. cuius umbram cum vidisset in aqua, patefecit os suum, ut aliam caperet. statim eam, quam prius tenebat, fluvius tulit et illam, quam sub aqua putabat, obtinere non potuit. sic quisquis alienum querit, dum plus vult, suum perdit.

Phaedr I 4

Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.
Canis per flumen carnem cum ferret natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum,
Aliamque praedam ab altero ferri putans
Eripere voluit: verum decepta aviditas
Et quem tenebat ore dimisit cibum
Nec quem petebat potuit adeo adtingere.

Babr 79

Κρέας κύων ἔκλεψεν ἐκ μαγειρείου
καὶ δὴ παρῆει ποταμόν· ἐν δὲ τῷ ῥείθρῳ
πολὺ τοῦ κρέως ἰδοῦσα τὴν σκιὴν μείζω,
τὸ κρέας ἀφῆκε, τῇ σκιᾷ δ' ἐφωρμήθη.
ἀλλ' οὔτ' ἐκείνην εὗρεν οὔθ' ὃ βεβλήκει.
πεινῶσα δ' ὀπίσω τὸν πόρον διεξῄει.

De corvo et vulpe (cf pagg 13 sq)

Ps-Dos 9(3)

Κόραξ τυρὸν ἁρπάσας
καὶ ἐπάνω δένδρου πετασθεὶς ἐκάθισεν.

Corvus caseum rapuit
et super arborem volans
sedit.

Rom Burn I 14

Cum de fenestra corvus caseum raperet, alta consedit in arbore. vulpis, ut haec vidit, e

Digitized by Google

ἰδοῦσα δὲ αὐτὸν
ἀλώπηξ προσῆλθεν
καὶ ἐπαινεῖν ἤρξατο
αὐτοῦ τὴν ἀνδρείαν,
ἔψεγεν δέ,
ὅτι τοιοῦτο ζῶον
φωνὴν οὐκ ἔχει.
πλανηθεὶς οὖν ὁ κόραξ
ἤνοιξεν τὸ στόμα, ⟨ᾧ⟩
τὸν τυρὸν πεσόντα ἀλώπηξ
ἁρπάσασα κατέφαγεν.
οὕτως οἱ πολλοί, ὅτι
δυνάμει οὐ δύνανται,
φρόνησι ἐκπλέκουσιν.

speculata ergo eum
vulpis accessit
et laudare coepit
eius virtutem,
arguebat autem,
quod tale animal
vocem non haberet.
fallatia ergo corvus
aperuit rostrum, ⟨cui⟩
caseum cadentem vulpis
raptum comedit.
sic complures, quod
virtutibus non possunt,
sapientia explicant.

contra sic ait corvo: o corvus, quis similis tibi? et pennarum tuarum quam magnus est nitor? qualis decor tuus esset, si vocem habuisses claram; nulla prior avis esset. at ille, dum vult placere et vocem suam ostendere, validius sursum clamavit et ore patefacto oblitus caseum deiecit, quem celeriter vulpis dolosa avidis rapuit dentibus. tunc corvus ingemuit et stupore detentus deceptum se poenituit. sed post inrecuparabile factum damnum quid iuvat poenitere?

5 προσῆλθεν καὶ *accessit et* om P ‖ 7 sqq *laudare coepit quod ipse quidem* ὅτι αὐτὸς μὲν P ‖ *formosus esset et magnus* εὔμορφος εἴη καὶ μέγας P ‖ 8 *unum autem deesset* graeca versione deperdita P ἓν δὲ ἐπιλείποι suppl Bouch ‖ 9 τοιοῦτο ζῶον *tale animal* om P ‖ 12 *clamavit* ἔκραξεν P ‖ *et deiecit caseum* καὶ τυρὸν κατέβαλεν P cf Rom et p 14 ‖ 12 sqq τινι qui L *quem rapuit vulpis* (*et* Bouch) *comedit* ὃν ἥρπαξεν ἡ ἀλώπηξ (καὶ Bouch) κατέφαγεν P ‖ 16 *viribus* P.

Phaedr I 13

Qui se laudari gaudet verbis subdolis,
Sera dat poenas turpis paenitentia.
Cum de fenestra corvus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore,
Vulpes hunc vidit, deinde sic coepit loqui:
O qui tuarum, corve, pinnarumst nitor!
Quantum decoris corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille, dum vult etiam vocem ostendere,
Emisit ore caseum, quem celeriter
Dolosa vulpes avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor.
Hac re probatur, ingenium quantum valet;
Virtute semper praevalet sapientia.

Babr 77

Κόραξ δεδηχὼς στόματι τυρὸν εἱστήκει·
τυροῦ δ' ἀλώπηξ ἰχανῶσα κερδῴῃ
μυθῳ τὸν ὄρνιν ἠπάτησε τοιούτῳ·
„κόραξ, καλαί σοι πτέρυγες, ὀξέη γλήνη,
θεητὸς αὐχήν· στέρνον αἰετοῦ φαίνεις,
ὄνυξι πάντων θηρίων κατισχύεις.
ὁ τοῖος ὄρνις κωφός ἐσσι κοὐ κρώζεις.“
κόραξ δ' ἐπαίνῳ καρδίην ἐχαυνώθη,
στόματος δὲ τυρὸν ἐκβαλὼν ἐκεκράγει.
τὸν ἡ σοφὴ λαβοῦσα κερτόμῳ γλώσσῃ
„οὐκ ἦσθ' ἄφωνος“ εἶπεν „ἀλλὰ φωνήεις·
ἔχεις, κόραξ, ἅπαντα, νοῦς δέ σοι λείπει.“

De mure rustico et urbano (cf pagg 14—16, 36—38)

Ps-Dos 18(17)

Μῦς ἀρουραῖος ἐκάλεσεν ἐφ' ἑστίασιν μῦν ἀστικὸν καὶ παρεῖχεν αὐτῷ σιτεῖσθαι τὰ ἐν ἀγρῷ⟨ὄντα⟩. σύκων τε καὶ σταφυλῶν καὶ τῶν ἄλλων ἀκροδρύων. ὃ δὲ πολλὴν αὐτοῦ πενίαν κατεγίνωσκεν ἐκέλευσέν τε τὴν αὔριον ἀφικνεῖσθαι πρὸς αὐτόν. καὶ ὃς εἰς πλουσίου ταμεῖον

Mus silvester vocavit ad cenam murem urbanum et praestabat ei vesci, quae in rure ⟨erant⟩: ficus et uvas et cetera poma. at ille multam eius paupertatem agnoscebat, iubebat ei in crastinum venire ad se. et ille in divitis cellarium eum induxit;

Digitized by Google

αὐτὸν εἰσαγαγῶν παρεῖχεν εὐωχεῖσθαι τοῦτο μὲν κρεῶν παντοδαπῶν, τοῦτο δὲ ἰχθύων, ἔτι δὲ καὶ πλακούντων. ἐν ᾧ δὲ πρὸς τούτοις ἦσαν, ἡ ταμιοῦχος ἐπεισῆλθεν, καὶ τούτους δέος τε καὶ φυγὴ καταλαμβάνει. καὶ ὁ ἀρουραῖος πρὸς τὸν ἀστικόν· σὺ μέν, ἔφη, ταύτης ἀπόλαυε τῆς τροφῆς μετὰ τοσούτων ἐδεσμάτων, ἐγὼ δὲ χαίρω τῇ μετὰ ἀδείας καὶ ἐλευθερίας τροφῇ.

praestabat epulari ha⟨n⟩c et quidem carnium omnium diversitatem, etiam et piscium, ⟨in⟩super et placentarum dulciorum. in quo autem ad eos erant, cellaria introivit, et eos necessitas et fuga comprehendit. et silvester ad urbanum: tu, inquit, eas fruere epulationes cum tantis cibis, ego autem gaudeo soluto et libero cibo.

2 sq *quae in rure erant* τὰ ἐν ἀγρῷ ὄντα P melius || 4 sq *paupertatem reprehendebat* P || 10 *dumque in his* P || *cellararia* P || 12 sq *his fruere deliciis* P || 13 desunt cetera in P cf Bouch pag 525.

Phaedr = Adem 13

Hospitio quondam mus urbanus exceptus est rustici et humili glande coenavit. causam perfecit. perduxit precibus post in urbem rusticum cellamque intravit plurimo refertam cibo. in qua cum variis perfruitur, hostiis cellarario repulsis, urbanus nota facile se abscondit caverna. at miser rusticus ignota trepidat domo, mortemque metuens circa parietes cursitat. cellararius quae voluit sustulit, clausitque limen. iterum urbanus rusticam ad escam hortatur. at ille: vix possum — valde perterritus — putasne veniet ille? tantum ergo metuens ait. — haud has tu poteris invenire delicias. — cui respondit: me glans securam pascat et liberam. — quia melius est in paupertatula sua secum vivere, quam divitiarum carpi sollicitudine.

Rom Burn I 12.

Mus urbanus iter agebat sicque hospitio susceptus est. rogatur a mure agrario in qualicunque brevi casella, glandem et hordeum exhibuit. ita factum est. deinde mus urbanus rediens murem agrarium rogabat venire secum. atque ita factum est, ut simul venirent. ingrediuntur onestam domum, in qua erat illis cellarium omnibus bonis plenum. cum haec mus muri ostenderet, sic ait: fruere mecum amice, quae nobis quotidie superant. cumque multis cibariis uterentur, venit cellerarius festinans et ostium cellarii impulit. mures strepitu territi fugam per diversa petierunt. mus urbanus notis cavernis cito se abscondit. at miser agrarius fugit per parietes ignarus putans se morti proximum. at ubi exiit cellerarius et domum clausit, sic mus urbanus agrario dixit: quid te turbasti fugiendo? fruamur amice istis bonis, nihil verearis nec timeas. ille agrarius e contra: tu fruere, inquit, istis omnibus, qui nec times nec pavescis nec te turbatio quotidiana terret. ego vero fruar bonis in agro, ubi quocunque letus nullus me terret timor, nulla perturbatio corporis.

Babr 108

Μυῶν δ μέν τις βίον ἔχων ἀρουραῖον
δ δ' ἐν ταμείοις πλουσίοισι φωλεύων
ἔθεντο κοινὸν τὸν βίον πρὸς ἀλλήλους.
ὁ δ' οἰκόσιτος πρότερος ἦλθε δειπνήσων
ἐπὶ τῆς ἀρούρης ἄρτι χλωρὸν ἀνθούσης·
τρώγων δ' ἀραιὰς καὶ διαβρόχους σίτου
ῥίζας μελαίνῃ συμπεφυρμένας βώλῳ
„μύρμηκος" εἶπε „ζῇς βίον ταλαιπώρου,
ἐν πυθμέσιν γῆς κρίμνα λεπτὰ βιβρώσκων,
ἐμοὶ δ' ὑπάρχει πολλὰ καὶ περισσεύει·
ποῦ δ' ὀσπρίων ἦν σωρὸς ἢ πίθοι σύκων
στάμνοι τε μέλιτος σώρακοί τε φοινίκων.
δ δ' ὡς ἐτέρφθη πᾶσι καὶ παρωρμήθη
καὶ τυρὸν ἦγεν ἐκ κανισκίου σύρων,
ἀνέῳξε τὴν θύρην τις· δ δ' ἀποπηδήσας
στεινῆς ἔφευγε δειλὸς ἐς μυχὸν τρώγλης,
ἄσημα τρίζων τόν τε πρόξενον θλίβων.
μικρὸν δ' ἐπισχών, εἶτ' ἔσωθεν ἐκκύψας
ψαύειν ἔμελλεν ἰσχάδος Καμειραίης·
ἕτερος δ' ἐπῆλθεν ἄλλο τι προαιρήσων·

Digitized by Google

τὸ κέρας κατοικῶ πρὸς σὲ τῆς Ἀμαλθείης.
εἴ μοι συνέλθοις, ὡς θέλεις ἀσωτεύσῃ,
παρεὶς ὀρύσσειν ἀσφάλαξι τὴν χώρην."
ἀπῆγε τὸν μῦν τὸν γεηπόνον πείσας
εἰς εἶκον ἐλθεῖν ὑπότε τοῖχον ἀνθρώπου.
ἔδειξε δ' αὐτῷ, ποῦ μὲν ἀλφίτων πλήθη,
οἷ δ' ἔνδον ἐκρύβοντο, μῦς δ' ἀρουρίτης
„τοιαῦτα δειπνῶν" εἶπε „χαῖρε καὶ πλούτει,
καὶ τοῖς περισσοῖς αὐτὸς ἐντρύφα δείπνοις,
ἔχων τὰ πολλὰ ταῦτα μεστὰ κινδύνων.
ἐγὼ δὲ λιτῆς οὐκ ἀφέξομαι βώλου,
ὑφ' ἣν τὰ κρίμνα μὴ φοβούμενος τρώγω."

De mure leonem e somno excitante (cf pagg 15—18)

Ps-Dos 2(2)

Μῦς ἐπάνω λέοντος κοιμωμένου ἐφήλατο καὶ τὸν ὕπνον αὐτοῦ ἐξύπνικεν, ὃν ὁ λέων δραξάμενος ἀναιρεῖν ἐβούλετο. ἐκεῖνος δὲ συγγνώμην ἠτήσατο ὑπὲρ τοῦ ζῆν καὶ οὐκ ἐλάσσονα χάριτα ἐπηγγέλλετο. ὁ δὲ λέων γελῶν καὶ στοχαζόμενος . . . λέοντι χάριτας ἀνταποδώσειν ἐπηγγείλατο, ἀπέλυσεν αὐτόν. μετ' οὐ πολὺ δὲ αὐτὸς ὁ λέων ὑπὸ κυνηγῶν ληφθεὶς καὶ εἰς δεσμὰ βληθεὶς ἐκεῖτο. τότε ὁ μῦς μνησθεὶς ἀνταποδοῦναι τῷ λέοντι τὴν χάριν ἠθέλησεν καὶ διὰ νυκτὸς τρώγων τὰ σχοινία ἠλευθέρωσεν τὸν λέοντα. ⟨οὕτως⟩ ἐξ ἀνελπίστου βοήθεια ἀπὸ ἡττόνων γίνεται μείζοσιν.

Mus super leonem dormientem insiluit et somnum eius excitavit, quem leo amplexus interficere volebat. ille autem veniam petit pro vita et non minorem gratiam reprobmittebat. et leo ridens et existimans . . . leoni gratiam restituere promisit, dimisit eum. sed multo post ipse leo a venatoribus captus et in vinculis missus iacebat. tunc mus ⟨memor⟩ restituere leoni gratiam voluit et per noctem rodens funes liberavit leonem. sic desperatis adiutorium ab inferioribus fit maioribus.

1 sq καὶ τὸν ὕπνον αὐτοῦ ἐξύπνικεν *et somnum eius excitavit* om P || 2 sq leo iratus interficere λέων ὀργιζόμενος ἀναιρεῖν P || 5 lacuna in L *quod sic exiguum animal* ἐπεὶ οὕτως ἐλάχιστον ζῶον P || 9 *tum mus memor* ἀναμνησθεὶς P.

Phaedr = Adem 18

dormiente leone in silva mures agrarii ludentes unus ex eis super leonem non voluntate transiit. experrectus leo celeri manu miserum murem apprehendit. ille rogabat veniam sibi dari, quia non voluntate fecerat. leo cogitabat, si occideret, crimen esset et non gloria, ignovit et dimisit. post paucos dies leo in foveam cecidit, captus mugire coepit. mus ut audivit, cucurrit. ubi captum cognovit, ait: non sum immemor beneficii tui. tunc illius ligaturas lustrare coepit, nervos secare et laxare illius artis ingenia. sic mus leonem captum liberum silvis restituit. — ne quis minimos laedere praesumat.

Rom Burn I 17

Dormiente leone in silva mures agrarii luxuriantes unus ex illis super leonem non voluntarie transiit. expergefactus leo celeri manu miserum murem arripuit. rogabat ille veniam sibi dari, quia non voluntate fecerat. reddiditque causam peccati sui, quod plures luxuriarentur et quod solus inter ceteros peccaverit, supplex fatetur. leo vero de mure cogitabat in tali re, qualis subiceretur vindictae. si enim occideret miserum murem, crimen illi erat, non aliqua gloria laudis. verum ignovit et dimisit. post paucos autem dies leo in foveam cecidit. captum se ut agnovit, maxima voce rugire coepit et magno dolori dat sonum. mus vero ut agnovit, ad eum cucurrit, quid tali leoni accidisset vel quid mali evenisset quaesivit. at ubi captum cognovit, non est inquit iam quod timeas. parem gratiam tibi reddam non immemor beneficii. dixit et omnes artuum illius ligaturas lustrare coepit. cognovit loca ro-

Digitized by Google

denda, sumpsit laborem oris sui et dentibus nervos coepit secare et laxare artis illius ingenia. sic mus leonem captum liberum silvis restituit.

Babr 82 (— v 3) + 107

82, 1—3: Κοιμωμένου λέοντος ἀγρίης χαίτης
διέδραμεν μῦς· ὁ δὲ λέων ἐθυμώθη,
φρίξας δὲ χαίτην ἔθορε φωλάδος κοίτης.....
107: Λέων ἀγρεύσας μῦν ἔμελλε δειπνήσειν·
ὁ δ' οἰκότριψ κλώψ ἐγγὺς ὢν μόρου τλήμων
τοιοῖσδε μύθοις ἱκέτευε τὸν θῆρα·
„ἐλάφους πρέπει σοι καὶ κερασφόρους ταύρους
θηρῶντα νηδὺν σαρκί τῇδε πιαίνειν·
μυὸς δὲ δεῖπνον οὐδ' ἄκρων ἐπιψαῦσαι
χειλῶν ἅλις σῶν. ἀλλὰ λίσσομαι, φείδου.
ἴσως χάριν σοι τήνδε μικρὸς ὢν τίσω."
γελάσας δ' ὁ θὴρ παρῆκε τὸν ἱκέτην ζώειν.
καὶ φιλαγρευταῖς ἐμπεσὼν νεηνίσκοις
ἐδικτυώθη καὶ σφαλεὶς ἐδεσμεύθη.
ὁ μὺς δὲ λάθρῃ χηραμοῦ προπηδήσας,
στερρόν τ' ὀδοῦσι βραχυτάτοις βρόχον κείρας
ἔλυσε τὸν λέοντα, τοῦ τὸ φῶς βλέψαι
ἐπάξιον δοὺς μισθὸν ἀντιζωγρήσας.

De murium et mustelarum bello (cf pagg 18, 41)

Ps-Dos 3(7)

Μῦες ὀργιζόμενοι, ὅτι ὑπὸ γαλῶν ἑαυτοὺς ἀναλίσκεσθαι ἔβλεπον, ὥρισαν μετ' αὐτῶν πυκτεῦσαι· τοιγαροῦν ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἡγεμόνας, οὓς πρὸς ἐπίσημον χρυσέοις κέρασιν ἐκόσμησαν, καὶ ἐξαπίνης μάχης συμβληθείσης μῦες ἔφυγον· οἱ ἡγεμόνες οὖν κωλυόμενοι διὰ τὰ κέρατα ἐσφάγησαν. οὕτως ⟨οἷς⟩ εἰς τιμὴν δοθεῖσιν ἔχαιρον, ὑπ' αὐτῶν ἔπαθον.

Mures indignati, quod a mustelis se consumi videbant, statuerunt cum eis pugnare. itaque fecerunt sibi duces, quos ad nobilitatem aureis cornibus ornaverunt, et de subito pugna commissa mures fugerunt. duces ergo prohibiti propter cornua occisi sunt. sic ⟨quibus⟩ in honorem dati⟨s⟩ gaudebant, ex eis passi sunt.

3 sq ad nobilitatem *imperatoriae dignitatis* αὐτοκρατορικῆς ἐξουσίας add P ‖ 6 *prohibiti sunt* L *sunt* del Böck *prohibiti* P ‖ 7 sq οὕτως εἰς τιμὴν τοῖς δοθείσιν ἔχαιρον αυπαυτων ἔπαθον *sic in honorem dati gaudebant ex eis passi sunt* L recte restituit Böck, quem secutus sum *sic in honorem datis gaudebant quod contrarium ab eis passi sunt* οὕτως εἰς τιμὴν τοῖς δοθείσιν ἔχαιρον ὅτι ἐναντίον ἀπ' αὐτῶν ἔπαθον P.

Babr 31

Γαλαῖ ποτ' εἶχον καὶ μύες πρὸς ἀλλήλους
ἄσπονδον ἀεὶ πόλεμον αἱμάτων πλήρη·
γαλαῖ δ' ἐνίκων. οἱ μύες δὲ τῆς ἥττης
ἐδόκουν ὑπάρχειν αἰτίην σφίσιν ταύτην,
ὅτι στρατηγοὺς οὐκ ἔχοιεν ἐκδήλους,
ἀεὶ δ' ἀτάκτως ὑπομένουσι κινδύνους.
εἵλοντο τοίνυν τοὺς γένει τε καὶ ῥώμῃ
γνώμῃ δ' ἀρίστους, εἰς μάχην τε γενναίους,
οἳ σφᾶς ἐκόσμουν καὶ διεῖλον εἰς φρήτρας
λόχους τε καὶ φάλαγγας, ὡς παρ' ἀνθρώποις.
ἐπεὶ δ' ἐτάχθη πάντα καὶ συνηθροίσθη,
καί τις γαλῆν μῦς προὐκαλεῖτο θαρσήσας,
οἵ τε στρατηγοὶ λεπτὰ πηλίνων τοίχων
κάρφη μετώποις ἁρμόσαντες ἀκραίοις
ἡγοῦντο παντὸς ἐκφανέστατοι πλήθους,
πάλιν δὲ φύζα τοὺς μύας κατειλήφει.
ἄλλοι μὲν οὖν σωθέντες ἦσαν ἐν τρώγλαις·
τοὺς δὲ στρατηγοὺς εἰστρέχοντας οὐκ εἶα
τὰ περισσὰ κάρφη τῆς ὄπῆς ἔσω δύνειν,
νίκη δ' ἐπ' αὐτοῖς καὶ τρόπαιον εἱστήκει,
γαλῆς ἑκάστης μῦν στρατηγὸν ἑλκούσης.

Digitized by Google

De tribus hircis et tauro (cf pagg 19 sq)

Ps-Dos 14 (14)

Ταῦρος φεύγων λέοντα ἑαυτὸν εἰς σπήλαιον ἔβαλεν, ὅπου ἦσαν τράγοι τρεῖς, οἵτινες ⟨ὡς⟩ εἶδαν τοῦτον φοβούμενον, κατεγέλων αὐτοῦ· κἀκεῖνος αὐτοῖς ἀπεκρίθη· ὦ ἀπονενοημένοι, εἰ γὰρ ἤδειτε, τί ὧδε κατέφυγον, οὐδ' ἄν μου κατεγελᾶτε. οὕτως οὖν ἐνίοτε τὰ δυνατὰ πρόσωπα ὑπὸ ἀδυνάτων ὑβρίζονται.

Taurus fugiens leonem se in speluncam misit, ubi erant hyrci tres, qui ut viderunt eum timentem, deridebant eum. et ille illis respondit: [abintellegentes!] o desperati, si enim sciretis, quare hic refugerim, non me deridebatis. sic ergo saepius potentes personae ab inferioribus iniuriantur.

2 sq ὡς add Böck οἵτινες ἰδόντες αὐτόν P || 4 sq *abintellegentes* deest in P || 7 sq *ab impotentibus iniuria affliguntur* P.

Rom Burn IV 16 = Ps-Dos

(initium decurtatum) . . . . *ubi erant tres hyrci. viderunt equum timentem leonemque fugientem et deridebant ei. ille autem respondebat eis. o desperati et ignari, si sciretis, quis me persequitur, non minus paveretis. sic ergo saepius potentibus personis ab inferioribus detrahi solet.*

Babr 91

Λέοντα φεύγων ταῦρος εἰς ἐρημαίην
σπήλυγγα κατέδυ ποιμένων ὀρειφοίτων,
ὅπου τράγος τις χωρὶς αἰπώλου μείνας
τὸν ταῦρον ἐμβὰς τοῖς κέρασιν ἐξώθει.
ὁ δ' εἶπεν „οὐ σέ, τὸν λέοντα δ' ἐκκλίνων
ἀνέξομαί σου μικρὰ τῆς ἐπηρείης·
ἐπεὶ παρελθέτω με, καὶ τότε γνώσῃ
πόσον τράγου μεταξὺ καὶ πόσον ταύρου."
[πρὸς τοὺς τοῖς δυνατωτέροις ἐπεμβαίνοντας
δ' ἐπικειμένην αὐτοῖς συμφοράν.]

De hominis et leonis disputatione (cf pagg 20—25)

Ps-Dos (15) 15

Aesopus interrogatus, quare mulieres viris dotem dant et non viri mulieribus, coepit huiusmodi fabulam: homo et leo certabant inter se, quis esset superior, et eius altercationis quaerebant testimonium. homo duxit leonem ad monumentum, ubi erat pictum, quemadmodum leo ab homine suffocabatur. sed leo respondit: haec, inquit, pictura ab homine picta est. quodsi et leo pingeret, vidisses, quomodo leo suffocaret hominem. sed et ego, inquit, dabo tibi verum testimonium. duxit eum ad amphitheatrum et ostendit ei, quemadmodum homo a leone suffocabatur, et dixit: hic colorum testimonio opus non est, sed veritate. cui homo dixit: vicisses, si non alligatum mihi hominem ostendisses. crede ergo victum te in eo manifeste. para ergo te inter cetera abstinere, et scire leonem ab homine

Αἴσωπος ἐπερωτηθείς, διὰ τί γυναῖκες ἀνδράσιν προῖκα διδόασιν καὶ οὐκ οἱ ἄνδρες ταῖς γυναιξίν, ἤρξατο τοιούτου μύθου· ἄνθρωπος καὶ λέων ἠρίζοντο εἰς αὐτούς, τίς εἴη προῦχων καὶ ταύτης τῆς ἀμφισβητήσεως ἐξήτουν μαρτύριον. ἄνθρωπος ἤγαγεν τὸν λέοντα πρὸς μνημεῖον, ὅπου ἦν ἐζωγραφημένον, πῶς λέων ὑπὸ ἀνθρώπου ἐπνίγετο. ἀλλὰ λέων ἀπεκρίθη· αὕτη, φησίν, ⟨ἡ⟩ ζωγραφία ὑπὸ ἀνθρώπου ἐζωγραφήθη. εἰ δὲ καὶ λέων ἐζωγράφει, ἑωράκεις ⟨ἂν⟩ πῶς λέων ἔπνιγεν ἄνθρωπον. ἀλλὰ καὶ ⟨ἐγ⟩ώ, φησίν, δώσω σοι ἀληθὲς μαρτυρίαν. ἤγαγεν αὐτὸν εἰς ἀμφιθέατρον καὶ ἔδειξεν αὐτῷ, πῶς ὁ ἄνθρωπος ὑπὸ λέοντος ἐπνίγετο, καὶ εἶπεν· ὧδε χρωμάτων μαρτύριον χρεία οὐκ ἐστὶν ἀλλὰ ἀληθείας. ᾧ ὁ ἄνθρωπος εἶπεν· ἐνενικήκεις ⟨ἄν⟩, εἰ μὴ δεδεσμένον ἐμοὶ ἄνθρωπον ἔδειξας. πίστευσον οὖν νενικημένον σε ἐν τούτῳ φανερῶς. ἑτοίμασον οὖν σε ἐν τοῖς ἄλλοις ἀπέ-

Digitized by Google

infrenari, ne malus et indomitus ⟨sis⟩. saepe ergo artis ratio currit in eos, alii autem corrigunt longius libros intuentes naturae ingenium.

χεσθαι, καὶ εἰδέναι λέοντα ὑπὸ ἀνθρώτου χαλινοῦσθαι, ⟨ἵνα⟩ μὴ κακὸς καὶ ἀδάμαστος ⟨ᾖς⟩. πολλάκις οὖν τέχνης λόγος τρέχει εἰς αὐτούς· ἄλλοι δὲ διορθοῦσιν μακρότερον βιβλίοις ἐνορῶντες φύσεως εὐφυΐαν.

4 sq ἐπανώτερος L || 6 sq καὶ ὡς ἦλθον, ὅπου ἦν μνημεῖον, ἐν ᾧ *et ut venerunt, ubi erat monumentum, in quo* L || 8 ἐδείκνυεν οὖν αὐτῷ ὁ ἄνθρωπος τὴν μαρτυρίαν ἐν τῇ ζωγραφίᾳ *ostendebat ergo ei homo testimonium in pictura* add L || 11 ἑωράκεις ἂν *vidisses quidem* L || 13 διδωσοι P δώσω σοι L || 15 sq *oculorum* ὀμμάτων P χρωμάτων μαρτυρίας *colorum testimonium* L melius cf ceteras variationes || 17 ἄν L om P || 20 sq ἵνα et *sis* ᾖς om P || 23 πολλάκις οὖν κτλ desunt in L.

Rom Burn IV 17 = Ps-Dos

Homo et leo, cum inter se certarent, quis esset superior et quaererent huius altercationis testimonium, cum venissent ad monumentum, ubi erat pictura, quomodo leo ab homine suffocatur, ostendit homo ille testimonium in pictura. cui leo ait: hoc ab homine pictum est. nam si leo pingere nosset, pinxisset (pingeret Ad*), quomodo leo suffocasset hominem. sed ego, inquit, dabo tibi verum testimonium. deduxit leo hominem ad amphiteatrum et ostendit illi vera fide, quomodo homo a leone suffocatur, et dixit. hic colorum testimonia non sunt, sed opus veritate factum. (hinc dixit, colorum non sunt opus testimonia, sed veritate facta* Ad*). haec fabula probat mendacium colore compositum a veritate cito superari, ubi est certa probatio.*

Babr Bodl Paraphr 194

Ὤδευέ ποτε λέων σὺν ἀνθρώπῳ,
ἕκαστος [δὲ] αὐτῶν τοῖς λόγοις ἐκαυχήθη.

καὶ δὴ ἐν τῇ ὁδῷ ἦν ἀνδρὸς πετρίνη στήλη λέοντα πνίγοντος. ὁ δὲ ἀνὴρ ὑποδείξας τῷ λέοντι ἔφη· „ὁρᾷς σύ, πῶς ἐσμεν ὑμῶν κρείττονες;“ κἀκεῖνος εἶπεν ὑπομειδιάσας· „εἰ λέοντες ἤδεισαν γλύφειν,

πολλοὺς ἂν ἄνδρας εἶδες † ὑποκάτω λέοντος.“

[ὅτι πολλοὶ ἐπαίρονται καὶ καυχῶνται διὰ λόγων ἀνδρεῖοι καὶ θρασεῖς εἶναι, οὓς ἡ πεῖρα γυμνασθέντας ἐξελέγχει.]

De leone sene et vulpe (cf pagg 25—27)

Ps-Dos 6 (11)

Λέων λιμῷ ἐκλιπὼν νοσεῖν ἑαυτὸν προσεποιεῖτο, καὶ διὰ ταύτης τῆς πλάνης τὰ λοιπὰ θηρία ἐπισκε⟨ψ⟩όμενα εἰσήρχοντο, ⟨ἃ⟩ ὁ λέων εὐθέως ἐδαπάνα. ἀλώπηξ δὲ ἔξωθεν τοῦ σπηλαίου ἑστάθη καὶ ἠσπάσατο αὐτόν· ἐπερωτηθεῖσα δὲ ὑπ' αὐτοῦ, διὰ τί οὐκ εἰσήρχετο ἀπεκρίθη· ἐπειδὴ ὁρῶ εἰσερχομένων ἴχνη, ἐξερχομένων δὲ οὔ. οὕτως τινῶν οἱ κίνδυνοι διδαχὴ ἡμῖν εἶναι ὀφείλ⟨ουσιν⟩ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας.

Leo fame deficiens languere se simulabat, et propter eam fallaciam ceterae bestiae ⟨visitatum⟩ introibant, qu⟨a⟩s leo continuo consumebat. vulpis autem extra speluncam stetit et salutavit eum. interrogata ergo ab eo, quare non intraret, respondit: quoniam video intrantium vestigia, exeuntium autem non sic aliquorum pericula doctrina nobis esse debe⟨n⟩t nostrae salutis.

3 ἐπισκεπτόμενα *visitantes* L *visitatum* ἐπισκεψόμενα P || οὓς *quos pro* ἃ *quas* L *quas* ἃς pro ἃ P || 5 καὶ ἠσπάσατο αὐτὸν et salutavit eum omis P || 7 *ingredientium* εἰσιόντων τὰ ἴχνη P || 7 sq *exeuntium vero non video* ἐξιόντων δὲ οὐ βλέπω P || 9 ὀφείλει L ὀφείλουσιν P (melius).

Digitized by Google

Rom Burn IV 12 = Ps-Dos

Leo iam deficiens ⟨*leo in annis deficiens* Ad⟩ *langorem fingebat et per hoc ceterae bestiae ad visitandum eum introibant. leo autem continuo edebat eas. vulpis vero veniens ante speluncam stetit et salutavit eum. interrogata autem a leone, quare non intrasti, respondit: quoniam video introeuntium vestigia, exeuntium autem non video. sic quorundam periculum doctrina nobis debet esse nostrae salutis, quia in domum potentis facile quisquam intrat, exire vero tarde est.*

Babr 103

Λέων ἐπ' ἄγρην οὐκέτι σθένων βαίνειν
(πολλῷ γὰρ ἤδη τῷ χρόνῳ γεγηράκει)
κοίλης ἔσω σπήλυγγος οἷά τις νούσῳ
κάμνων ἐβέβλητ' οὐκ ἀληθὲς ἀσθμαίνων,
φωνὴν βαρεῖαν προσποιητὰ λεπτύνων.
θηρῶν δ' ἐπ' αὐλὰς ἦλθεν ἄγγελος φήμη,
καὶ πάντες ἤλγουν ὡς λέοντος ἀρρώστου,
ἐπισκοπήσων δ' εἷς ἕκαστος εἰσήει.
τούτους ἐφεξῆς λαμβάνων ἀμοχθήτως
κατήσθιεν, γῆρας δὲ λιπαρὸν ηὑρήκει.
σοφὴ δ' ἀλώπηξ ὑπενόησε, καὶ πόρρω
σταθεῖσα „βασιλεῦ, πῶς ἔχεις;" ἐπηρώτα.
κἀκεῖνος εἶπε „χαῖρε, φιλτάτη Ζῴων.
τί δ' οὐ προσέρχῃ, μακρόθεν δέ με σκέπτῃ;
δεῦρο, γλυκεῖα, καί με ποικίλοις μύθοις
παρηγόρησον ἐγγὺς ὄντα τῆς μοίρης."
„σψζοιο" φησίν· „ἦν δ' ἄπειμι, συγγνώσῃ·
πολλῶν γὰρ ἴχνη θηρίων με κωλύει,
ὧν ἐξιόντων οὐκ ἔχεις ὅ μοι δείξεις·"
[μακάριος ὅστις οὐ προλαμβάνει πταίσας,
ἀλλ' αὐτὸς ἄλλων συμφοραῖς ἐπαιδεύθη.
Οὕτως τινῶν οἱ κίνδυνοι διδαχὴ εἶναι ὀφείλει
τῆς ἡμῶν σωτηρίας].

De homine infirmo et medico indocto (cf pagg 27 sq)

Ps-Dos (12) 7

Infirmus quidam ab indocto medico desperatus convaluit. interrogante autem medico, ⟨*si ipse*⟩ *esset, quem desperaverat, respondit orci gratia remissum se esse ab inferis,* ⟨*ex*⟩*trinsecus autem Orcum statuisse intra paucos dies omnes medicos ad se perducturum, ut eos puniat, quoniam neglegentia eorum multi moriebantur. sed tu non timeas; ego enim dixi te medicum nunquam fuisse; ante omnes enim te adducturum minabatur. haec fabula potest ad eos pertinere, qui, quod nesciunt, promittunt.*

Ἀσθενής τις ὑπὸ ἀμαθοῦς ἰατροῦ ἀνελπισθεὶς ἐσώθη. πυνθανομένου δὲ τοῦ ἰατροῦ, εἰ αὐτὸς ⟨εἴη⟩, ὃν ἀνηλπίσε, ἀπεκρίθη τοῦ Χάρωνος ἕνεκα ἀναπεπέμφθαι αὐτὸν ἐξ Ἅιδου, παρεκτὸς δὲ τὸν Χάρωνα ὡρικέναι ἐντὸς ἡμερῶν ὀλίγων πάντας τοὺς ἰατροὺς πρὸς αὐτὸν ἄξειν, ὅπως αὐτοὺς κολάσῃ, ἐπειδὴ τῇ ἀμελείᾳ αὐτῶν πολλοὶ ἀπέθνησκον. ἀλλὰ σὺ μὴ φοβηθῇς· ἐγὼ γὰρ ἔφην αὐτῷ σὲ ἰατρὸν μηδέποτε γεγονέναι πρὸ πάντων γὰρ σὲ ἀπάξειν ἠπείλει. οὗτος ὁ μῦθος δύναται πρὸς τούτους ἀνήκειν, ⟨οἵτινες, δ⟩ οὐκ ⟨ἴσασιν⟩, ἐπαγγέλλονται.

1 ἀπελπισθεὶς L ‖ 2 καὶ συναντήσας αὐτῷ ἰατρ⟨ὸς⟩ διὰ χρόνου ἐξέταζεν *et obviatus ei medic*⟨*us*⟩ *post tempus interrogavit* L ‖ 3 *super se* P *si ipse* L ‖ ην P ειη L ‖ δν ἀπηλπίκει L ‖ 4 deest latina versio vocabulorum ἀναπεπέμφθαι — Ἅιδου in L ‖ 5 *intrinsecus* P praeterea L ‖ 11 ἀποσπάσαι *adduci* L ‖ 11 sq οὗτος — ἀνήκειν desunt in graeca versione apud L ‖ 12 οιτησουκ οιδην P ὅστις δ οὐκ οἶδεν L.

Babr 75

Ἰατρὸς ἦν ἄτεχνος. οὗτος ἀρρώστῳ
πάντων λεγόντων „μὴ δέδιχθι, σωθήσῃ·
πάθος μέν ἐστι χρόνιον, ἀλλ' ἔσῃ ῥᾴων."
ἕτοιμα δεῖ σε πάντ' ἔχειν· ἀποθνήσκεις,
οὐ συναπατῶ σε" φησίν „οὐδ' ἐνεδρεύω·
καὶ πῶς ἔχουσιν οἱ κάτω διηρώτα.
κἀκεῖνος εἶπεν „ἠρεμοῦσι τῆς Λήθης
πίνοντες. ἡ Κόρη δὲ χὠ μέγας Πλούτων
πρῴην ἰατροῖς δεινὰ πᾶσιν ἠπείλουν,
ὅτι τοὺς νοσοῦντας οὐκ ἐῶσ' ἀποθνήσκειν.

Digitized by Google

τὴν αὔριον γὰρ [τὸ] μακρὸν οὐχ ὑπερβήσῃ.“
ταῦτ' εἶπε, καὶ τὸ λοιπὸν οὐκέτ' εἰσῄει.
χρόνῳ δ' ἐκεῖνος ἐκ νόσων ἀνασφήλας
προῆλθεν ὠχρός, τοῖς ποσὶν μόλις βαίνων.
ὁ δ' ἰατρὸς αὐτῷ „χαῖρ'“ ἔφη συναντήσας,
ἀνέγραφον δὲ πάντας, ἐν δὲ τοῖς πρώτοις
καὶ σὲ γράφειν ἔμελλον· ἀλλ' ἐγὼ δείσας
εὐθὺς προσῆλθον, ἡψάμην τε τῶν σκήπτρων,
κἀπώμοσ' αὐτοῖς, ὅτι σὺ ταῖς ἀληθείαις
ἰατρὸς οὐκ εἶ καὶ μάτην διεβλήθης.“

De catto aves ad cenam vocante (cf pagg 28 sq)

Ps-Dos 5 (9)

Αἴλουρος προσποιούμενος γενέθλιον ἄγειν ἐπὶ δεῖπνον ὄρνεα ἐκάλεσεν· ἔπειτα παρατετηρηκὼς εἰσελθόντας ἔκλεισεν τὰς θύρας καὶ καθ' ἕνα ἤρξατο ἐσθίειν. οὗτος ὁ μῦθος ἥρμοσται εἰς ἐκείνους, οἳ πρὸς ἐλπίδα ἱλαρὰν πορευόμενοι τὰ ἐναντία πάσχουσιν.

Cattuna fingens⟨se⟩ natalem agere ad cenam gallinas invita⟨vi⟩t. deinde observans introeuntes clausit ostia et singillatim [qui] coepit manducare. haec fabula apta est in eos, qui ad spem ⟨hilarem⟩ proficiscentes contrariam patiuntur.

2 *aves vocavit* P ‖ 5 *spemilitarem* L *spem hilarem* P quem secutus sum ‖ *proficiscentes* om P ‖ 6 *contraria* P.

Rom Burn IV17 = Ps-Dos

Corvus similans se natalem celebrare aves ad cenam invitavit. deinde ingressus clausit ostium et singillatim coepit occidere eas. haec fabula facta est in illos, qui opem hilariter tribuentes (*ad opem hilarem proficiscentes* Flor et Vindob) *contraria machinantur* (*patiuntur* Flor et Vindob).

Genuinae formae affabulationem magistri apologi ambitu contineri iam Rothius recte monuit l c pag 540 in adn 18.

De cornice sitiente (cf pagg 29 sq)

Ps-Dos 8 (10)

Κορώνη διψῶσα προσῆλθεν ἐπὶ ὑδρίαν καὶ ταύτην ἐβιάζετο ἀνατρέψαι. ἀλλ' ὅτι ἰσχυρῶς εἱστήκει, οὐκ ἐδύνατο αὐτὴν καταβάλλειν. ὀλλὰ μεθόδῳ ἐπέτυχεν, ὃ ἠθέλησεν· ἔπεμπε γὰρ ψήφους εἰς τὴν ὑδρίαν καὶ τούτων τὸ πλῆθος ἀπὸ κάτωθεν τὸ ὕδωρ ἄνω ὑπερέχεεν, καὶ οὕτως ἡ κορώνη τὴν ἰδίαν δίψαν κατέπαυσεν. οὕτως οὖν φρόνησις ἀνδρότητα πλανᾷ.

Cornix sitiens accessit ad hydriam et eam conabatur convertere. sed quia fortiter stabat, non poterat eam deicere. sed remedio obtinuit, quod voluit; misit enim calculos in hydriam et eorum multitudo de imo aquam susum effudit et sic cornix sitim suam reparavit. sic ergo sapientia virtutem fallit.

2 sqq in P valde in artum contracta sunt *sed cum non posset* ἀλλὰ μὴ δυναμένη *lapidibus eam implevit* λίθοις αὐτὴν ἐπλήρωσε *quorum multitudine* ὧν τῷ πλήθει *exundavit aqua* ὑπερεχύθη ὕδωρ ‖ 6 lacuna post *et sic cornix* in P ‖ 7 sq *sic virtus sapientia superatur* οὕτως ἀνδρεία φρονήσει στερεῖται P.

Rom Burn IV18 = Ps-Dos

Cornix sitiens accessit ad urnam dimidiam aquae et eam conabatur evertere. sed quoniam fortiter stabat, non poterat eam movere. quod cum videret, hoc argumentum invenit. sumens calculos misit in urnam et ex multitudine calculorum aqua ex urna sursum porrecta est et sic suam satiavit sitim. (deest epimythium. sed cf Vindob promyth: *ingenio superatur, quod viribus negatur*).

Digitized by Google

De mure et rana (cf pagg 30 sq)

Ps-Dos 12 (6)

Βάτραχος μῦν ἔπεισεν κολυμβᾶν, οὗ τὸν πόδα πρὸς τὸν ἴδιον πόδα ἔδησεν. εἶτα ὅτε εἰς τὸ ὕδωρ αὐτὸν ἀγηόχει, καθὼς ἔνυδρον ζῶον μετὰ χαρᾶς κατέδυνεν. ὁ μῦς δὲ ὡς ἐν ἀσυνήθει τόπῳ φύσεως ἰδίας κολυμβῶν ἀπώλετο. μετὰ δὲ τρεῖς ἡμέρας ἀσκὸς ὁ μῦς φυσωθεὶς ἐκολύμβα, ὃν κολυμβῶντα νεκρὸν ἴκτινος πετόμενος ἥρπασεν, καὶ τῷ αὐτῷ λίνῳ ὁ βάτραχος ἠκολούθησεν ὃν εὐθέως ὁ ἴκτινος κατέπιεν. οὕτως οὖν, ὅς τινι κίνδυνον κινεῖ, ἑαυτὸν ἀπολεῖ.

Rana murem suasit natare, cuius pedem ad pedem suum ligavit. deinde cum in aqua eum adduxerat, sicut aquatile animal cum gaudio mergebat. mus autem tamquam inconsueto loco naturae suae natans perit. post autem tres dies uter mus inflatus natabat, quem natantem mortuum milvus volans rapuit, et eodem lino rana secuta est, quam continuo milvus devoravit. sic ergo, qui alicui periculum movet, se perdit.

et ut venit in gurgite⟨m⟩ fluminis P cf Phaedr et Rom || 2 sq καὶ ὡς ἦλθεν εἰς τιναλυστοι (τὴν δίνην? τοῦ Bouch) ποταμοῦ P || 3 sq *ipse* (rana!) *quidem non periit* αὐτὸς (ὁ βάτραχος) μὲν ⟨οὐκ⟩ ἀπώλετο P || 6 sq *post triduum inflatus mus super aquam ferebatur* φυσηθεὶς ὁ μῦς ἐπὶ τοῦ ὕδατος ἐφέρετο P || 7 sq *hunc milvus rapuit* τοῦτον ἴκτινος ἥρπαξεν P || 9 *subsecuta est et rana* συνηκολούθησεν καὶ ὁ βάτραχος P || 9 sq ος αλλοτις *qui-alicui* L *dum aliquis* ως αλλοτις P ergo: *ali-quis* = αλλο-τις.

Babr Bodl Paraphr 191

Χερσαῖος† μῦς βατράχῳ κακῇ μοίρῃ
ἐφιλιώθη. ὁ δὲ βάτραχος κακῶς βουλευσάμενος τὸν πόδα τοῦ μυὸς τῷ ἑαυτοῦ ποδὶ συνέδησε. καὶ πρῶτον μὲν ἐπὶ τὰς χώρας ἦλθον σῖτον δειπνήσοντες. ἔπειτα δὲ τῷ χείλει τῆς λίμνης πλησιάσαντες ὁ μὲν βάτραχος τὸν μῦν
εἰς τὸν βυθὸν κατῆγεν * * *,
αὐτὸς βρυάζων [τῷ] ὕδατι καὶ ⟨αὖθις ἐκκύψας⟩
τὸ βρεκεκεκὲξ κοὰξ ⟨κοὰξ⟩ ἀνακράζων.
ὁ δ' ἄθλιος μῦς ὕδατι
φυσηθεὶς ἐτεθνήκει ἐπέπλει δὲ τῷ ποδὶ τοῦ βατράχου συνδεδεμένος. ἴκτινος δὲ τοῦτον ἰδὼν τοῖς ὄνυξιν ἥρπασεν·
βάτραχος δὲ δεσμώτης
ἐπηκολούθει δεῖπνον αὐτὸς ἰκτίνῳ
γενόμενος.

De puero et scorpione (cf. pagg 31 sq)

Ps-Dos 10 (4)

Παιδίον εἰς ὕλην ἀκρίδας θηρεύων ἐπεστάθη λίθῳ τινί, εἰς ὃν σκορπίος ἐκρύβετο, ὃν ὁ παῖς ἐβιάζετο ἀντὶ ἀκρίδος ἐξελθεῖν. ᾧ ὁ σκορπίος λέγει· ὅρα, τάλας, μὴ ὡς ἐμὲ θηρεύεις σεαυτὸν ἀπολέσῃς. οὗτος ὁ μῦθος παραγγέλλει μηδὲν τοιοῦτο τολμᾶν, ὅ ἐστιν ἐπικίνδυνον.

Puer in silvam locustas capiens adstetit lapidi cuiquam, in quo scorpio latebat, quem puer compell⟨e⟩bat contra locustam exire. cui scorpio dicit: vide miser, ne dum me capis, te perdas. haec fabula praedicit nihil tale audere, quod est periculosum.

1 *in silva* ἐν ὕλῃ || 2 *sub quo* ὑφ' οὗ || 3 *compellabatur* L (vitiose) fortasse e graecis ἐβιάζετο corruptum *conabatur* P hoc autem non significat ἐβιάζετο cf Bouch || *pro locusta* P || 6 *fabula praecipit* P.

Digitized by Google

Rom Burn IV 14 = Ps-Dos

Puer in silva auguria(!)[1] *captans stetit super quendam lapidem, sub quo iacebat* (*latebat* Flor) *scorpius, quem conabatur puer vertere. cui scorpulus dixit: sic vide miser, ne dum me captas, te ipsum perdas. praecipit h f* (cet = Ps-Dos H L).

Babr Bodl Paraphr 168

Παῖς τις ἀκρίδας θηρεύων καὶ σκορπίον ἤμελλεν ἆραι ὡς γένος ἀκρίδος ὄντα. ὁ δὲ τὸ παιδὸς ἁπλοῦν ἰδὼν

τοὐραῖον ἱστὰς καὶ τὸ κέντρον ὀξύνας

εἶπεν· „ἄπελθε καὶ σώζου (chol coni Crus), ὦ παῖ, μὴ κἀμὲ θηρεύων καὶ πάσας, ἃς ἔχεις, ἀπολέσῃς.“

1) Hic quidem Romulum graviter esse corruptum nemo non videt. nec enim exsistit genus ferarum, quod antiqui auguriorum nomine significaverint. *acredulas* coniecit Thieleius Kellerum (Lat Volksetymol p 58) secutus, sed cf Weynandium in Thes Ling Lat s v *acredula*.

Digitized by Google

Leidensis et Parisini codicum ordo fabularum comparatur.

L 1 cervus umbram suam in aqua intuens = P 1
L 2 mus leonem e somno excitans . . . = P 2
L 3 murium et mustelarum bellum . . = P 7
L 4 pater familias et nautae . . . . . = P 8
L 5 cattus aves ad cenam vocans . . . = P 9
L 6 leo senex et vulpes . . . . . = P 11
L 7 infirmus et medicus . . . . . = P 12
L 8 cornix sitiens . . . . . = P 10
L 9 corvus et vulpes . . . . . = P 3
L 10 puer et scorpio . . . . . = P 4
L 11 canis carnem super fluvium ferens . = P 5
L 12 mus et rana . . . . . = P 6
L 13 asinus et lupus . . . . . = P 13
L 14 hirci tres et taurus . . . . . = P 14
L 15 hominis et leonis disputatio . . . = P 15
L 16 culex et taurus
L 17 formica et cicada . . . . . = P 17
L 18 mus rusticus et urbanus . . . . . = P 18

Index fabularum.

(numeri significant paginas)

asinus domino blandiens 41—43
canis carnem super fluvium ferens 10—12, 40 sq, 45
cattus aves ad cenam vocans 28 sq, 53
cervus umbram suam in aqua intuens 5—10, 41, 44
cornix sitiens 29 sq, 53
corvus et vulpes 13 sq, 45 sq
culex et taurus 32—34, 40
formica et cicada 32—34
hirci tres et taurus 19 sq, 50
hominis et leonis disputatio 20—25, 50 sq
infirmus et medicus indoctus 27 sq, 52 sq
leo senex et vulpes 25—27, 51 sq
lignator vulpis latibulum venatori prodens 38—40
murium et mustelarum bellum 18, 41, 49
mus et rana 30 sq, 54
mus leonem e somno excitans 16—18, 48 sq
mus rusticus et urbanus 14—16, 36—38, 46 sqq
puer et scorpio 31 sq, 54 sq

Digitized by Google

Index partium.

(numeri significant paginas)

Sitne Ps-Dositheus Babrii paraphrasis an non quaeritur . . . . 5—43
Pars 1: De Ps-Dositheo fabellis, quae non a Babrio profectae sunt. . . 5—27
I. De fabellis, quae ad eundem similemve ad quem Romulus fontem redeunt: 1, 2, 9, 11, 18 . . . . . 5—18
II. De fabellis, quae non e Romulo, sed alieno ex fonte haustae sunt: 3, 6, 14, 15 . . . . . 18—27
Pars 2: De Ps-Dositheo fabellis, quas Babrianis copiis adiudicare non necesse est: 5, 7, (4, 13) . . . . . 27—29
Pars 3:
I. De Ps-Dositheo fabellis, quae in Babrii paraphrasibus habendae videantur: 8, 10, 12 . . . . . 29—32
II. De Ps-Dositheo fabellis, quae certe ad Babrium redeunt: 16, 17 . . . . . 32—34
(Ps-Dositheo stemma . . . . . 35)
Epimetrum: De Babrii naturae studio . . . . . 36—43
Variationum conspectus . . . . . 44—55

Addendum.

Valde doleo, quod Marxii observatio in libello, qui inscribitur: *Griech Märchen von dankbaren Tieren* (Heidelb 1889) pag 127 sqq in universum cum nostra consentiens (v de mure leonem e somno excitans pag 19 sqq) plagulis iam impressis demum innotuit.

Digitized by Google

Vita.

Ericus Gustavus Getzlaff, Borussus, natus sum Berolini a d VII Idus Apriles anni MDCCCLXXXI patre Gustavo, matre Anne Iuliane e gente Gurkash, quibus superstitibus valde gaudeo. fidem profiteor evangelicam.

Gymnasii Steglitzensis, quod etiam nunc Roberto Lück viro humanissimo rectore illustrissimo floret, disciplina usus sum ab anno MDCCCXC.

Autumno anni MCM maturitatis testimonio instructus, ut litterarum recentiorum studiis operam darem, adii primum Berolinum, deinde vere insequente Lousonnam. sex mensibus post Berolinum reversus philologiam classicam sum amplexus. postremo vere anni MCMII almam petivi Philippinam Academiam Marpurgensem, cuius civis fui usque ad ver anni MCMVI. superavi hic examen rigorosum a d III Kalendas Februarias anni MCMVII.

Docuerunt me viri doctissimi André, Birt, Bock, Cohen, Dessoir, Diels, de Drach, Fischer, Heinze, Kalbfleisch, Kayser, Kekule de Stradonitz, Kirchhoff, Maass, Maurer, Natorp, Niese, Oestreich, Schultz-Gora, de Sybel, Thiele, Thumb, Warnery. seminarii philologi sodalis fui per duo semestria Birtio, Kalbfleischio, Maassio regentibus. exercitationibus benigne me admiserunt Birt, Bock, Fischer, Heinze, Natorp, Oestreich, de Sybel, Thiele, Thumb.

Quibus omnibus gratias habeo maximas, imprimis vero grato pioque colam animo Thielei memoriam, qui hanc materiem, suorum ipsius studiorum partem, ut tractarem, mihi permisit et insigni liberalitate consilioque me adiuvit, nec non Maassii, qui huic opusculo perfecto benignam curam impertivit et id commendavit summo philosophorum ordini.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Gb 1.80
Quaestiones Babrianae et Psuedo-Dos
Widener Library 001935602
3 2044 085 105 757

Digitized by Google